EDUARDI CORSINI
INSTITUTIONES
PHILOSOPHICÆ
AC
MATHEMATICÆ

In ſex Tomos diſtributæ.



INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ *AC* MATHEMATICÆ

AD USUM

SCHOLARUM PIARUM

TOMUS PRIMUS.



FLORENTIÆ MDCCXXXI.

Typis Bernardi Paperini.

Sub Signo Palladis, & Herculis.

CUM APPROBATIONE.



Φιλοσοφίαν δὲ, οὐ τὴν Στωϊκὴν λέγω, οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικούρειόν τε, καὶ Ἀριστοτελικήν· ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν Αἱρέσεων τούτων καλῶς, δικαιοσύνην μετὰ εὐσεβοῦς ἐπιστήμης ἐκδιδάσκοντα, τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν Φιλοσοφίαν φημί.

Κλημ. Αλε. Στρωμ. Α.



Philosophiam autem non Stoicam dico, nec Platonicam, aut Epicuream, & Aristotelicam; sed quæcunque ab his Sectis rectè dicta sunt, quæ docent justitiam cum piâ scientiâ, hoc totum selectum dico Philosophiam.

Clem. Alex. Strom. I:





SANCTISSIMO DOM. NOSTRO

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

EDUARDUS CORSINI

CL. REG. SCHOL. PIAR.



I cui fortaſſe mirum videbitur, quod Phi-

tas , atque conjunctio : tanta in eos, qui liberales artes profitentur, humanitas: tanta denique ſapientiæ, maximarumque virtutum gloria, quibus omnium amorem, & communem Orbis venerationem ſemper Tibi mirificè peperiſti, ut quidquid in aliquo ſtudiorum genere publicam lucem adſpexerit, id in ſinum Tuum videatur ſponte quadam ſuâ convolare. Quis enim neſciat inter illuſtria Generis Tui ornamenta

illud inprimis meritò recenſeri, quod ab antiquiſſimis uſque temporibus præclariſſimi in illâ Viri floruerint, qui omni ſapientiæ gloriâ commendati literarum ſtudia, bonaſque artes induſtriâ, auſpicio, beneficentiâ ſuâ decoraverint? Vivunt adhuc, atque omnium ora pervolitant immortalia Majorum Tuorum nomina; & Andreæ, qui cùm ſingulari, ac divino propemodum ſapientiæ ſplendore non Fæſulanam mo-

dò Ecclesiam, cui divinitus Pastor contigerat, sed omnem ferè Italiam, profligatis erroribus, illustrasset, ad eximiam morum sanctitatem, quam ad ipsius aras provoluti nunc veneramur, maximam quoque, doctrinæ, prudentiæ, sapientiæque gloriam adjunxit: & AMERICI, qui ob egregiam virtutum laudem primus Florentinæ Ecclesiæ Archiepiscopus est renunciatus: & OCTAVII Tharsensis Archiepi-

sco-

ſcopi, qui exterarum quoque gentium judicio omni genere diſciplinarum inſtructiſſimus habebatur: & THOMÆ, & PHILIPPI, & NEREI Cardinalis, & PHILIPPI demum Germani Tui: neque interitum verebuntur eximia monumenta, quæ hanc avitam Gentis Tuæ gloriam publicis etiam Patriæ Decretis æternitati conſecrarunt. Qui verò ceteris præluxiſſe, atque illuſtriùs etiam de Patriâ, de literis, nobiſque omnibus meruiſſe videtur, is

cer-

certè fuit PETRUS ille, qui URBANO V. Pont. Max. in Germaniam, atque Hungariam Legatus, florentissimas Provincias intestinis bellis discerptas composuit, easdemque CAROLO IV. Cæsari tranquillas, pacatasque restituit; quo perillustri facto etsi Romanæ Purpuræ ornamentum ab egregii Pontificis beneficentiâ, & S. R. I. Principatûs insignia sibi, ceterisque Florentinæ Ecclesiæ Præsulibus a benemerentissimo Imperatore obti-

nuis-

nuisset, nihil tamen antiquius habuit, quàm ut ejusdem Caroli auctoritate, & auspicio Scientiarum omnium Lycæum perenni Civium suorum commodo in patriâ hac Urbe institueret, optimis legibus confirmaret, effusâ denique, ac regiâ propemodum munificentiâ exornaret. Nemo itaque unus, Clemens Pontifex Maxime, dubitare unquam potest, quin artes omnes, & studia, quibus hæc Civitas illustratur,

Gen-

Gentilibus Tuis, Tibique plurimùm debeant, qui cùm Majorum Tuorum gloriam hæreditario veluti munere in Te feliciter derivatam ſuperaveris, publico literarum bono, ac felicitati natus unâ omnium voce cenſeris. Quod ſi communibus argumentis privata etiam conferam, atque oculos in me, Ordinemque meum conjiciam, intelligo ſanè, ac propemodum ſentio, nihil optabilius mihi contingere po-

potuisse, quàm ut hæc Nomini Tuo supplex, & veneratione, quâ decet maximâ, consecrarem. Altè siquidem animo insidet, atque omnium oculis obversatur singularis ardor, ac studium, quo nos humaniter complecti, operis, & Instituti nostri caussam fovere, ipsius decori, & ornamento consulere consuevisti, ut jampridem de universo Scholarum Piarum Ordine quàm qui maximè mereréris. Atque ejusmodi quidem

dem beneficentiæ genus tantum abeſt, ut temporis diuturnitas, aut novæ Dignitatis ſplendor extinxerit, ut inde potiùs illuſtriùs, atque uberiùs illud effulgeat. Etenim vix ſummo populorum plauſu, atque incredibili Orbis lætitiâ ad ſupremum Eccleſiæ Sacerdotium vocatus nova ſubinde, ac majora ſemper amoris in nos Tui argumenta oſtendiſti, quibus Scholarum Piarum ſplendori, incremento, incolumitati ita proſpicere

voluisti, ut immortalis certè sit in nobis futura meritorum Tuorum, ac jucundissima recordatio. Quem quidem memoris, Tibique omnia debentis animi sensum, etsi pro viribus semper quà privatis, quà publicis significationibus universus hic Ordo testari studuit, hoc etiam obsequii in Te nostri specimen, ac monumentum extare nunc cupit, ut Institutiones ejusmodi Tuo inscriptæ gloriosissimo Nomini proferantur; ex quo

omnes intelligant, quod ſi beneficiis hiſce Tuis nos ad ſapientiæ amorem, literarumque ſtudia, quæ profitemur, vehementiùs excitaſti, nos voluntatem hanc Tuam meliori, quo poſſumus, virium conatu ſic æmulari ſtudemus, ut hoc ſingulare Clementiæ Tuæ patrocinium aliquâ ſaltèm ex parte mereri videamur. Atque utinam is ego forem, qui communi huic Ordinis mei deſiderio reſpondere, atque adeo pro rei dignitate eximium

aliquod, ac perilluſtre munus beneficentiſſimo, ſapientiſſimoque Principi offerre poſſem! Quandoquidem verò neque tenues ingenii mei vires, neque ipſa temporis, ætatiſque conditio patitur, ut aliud hactenus officii genus, vel obſervantiæ monumentum ſuppetat, quo devinctiſſimum Tibi Scholarum Piarum Ordinem pleniùs poſſim, uberiùſque teſtari, hanc ipſam levem, primamque ſtudiorum meorum partem

Tibi

Tibi libentissimè nuncupavi; confidens fore, ut illam lætâ, serenâque fronte, quâ cetera complecti soles, excipiens, non ex ipsâ muneris tenuitate, sed ex offerentis obsequio, ac voluntate, memorem, gratumque animum nostrum intelligas. Quod ubi pro summâ, ac singulari prorsus humanitate in nos Tuâ præstiteris, Clemens Optime Maxime, non mecum dumtaxat, aut cum solo Scholarum Piarum Ordine liberali-

ter factum gloriabor; sed florentissimis etiam Urbibus, omnium bonarum artium studiosis, atque Reipublicæ, populorumque faustitati præclarè consultum esse lætabor. Si etenim beatissimas dicebat Plato futuras esse Respublicas, si aut Philosophi dominentur, aut qui gubernant divinâ quadam sorte philosophentur: eodemque Syracusis regio in curru perhonorificè excepto, cives omnes ingenuo lau-

dis

dis amore incenſi ad hæc ſeveriora Philoſophiæ ſtudia frequentes adeo convolarunt, ut nihil tam vulgare foret, quàm ſapere; auream certè literarum ætatem, atque Imperii gloriam, TE ſapientiſſimo Principe, TE liberalium artium fautore, TE literatorum vindice, TE facem denique ad hanc ampliſſimam ſapientiæ laudem præferente universo liceat mortalium generi gratulari. Nos certè, qui Adoleſcentibus omni

disciplinarum, ac Scientiarum lumine erudiendis, iisdemque morum honestate informandis ex veteri instituto, solennique religione omnes semper ingenii vires, atque operam addiximus; id facilè fieri, atque sperari posse confidimus, ut egregii Juvenes, & ad virtutis indolem planè facti, quos hæc præsertim Civitas semper aluit, ad hæc ipsa sapientiæ studia, optimarumque disciplinarum præstantiam vehementiùs in-

incendantur, ubi hæc Nomine Tuo decorari, ornari auſpiciis, munificentiâ, & amore probari intellexerint; ubi denique ex ampliſſimo honoris, Dignitatiſque Tuæ lumine plurimus illis, immenſuſque laudis, & gloriæ ſplendor acceſſerit. Maximas itaque, & immortales gratias amori, ac beneficentiæ in nos Tuæ, Clemens Pontifex Maxime, noſtro primùm, & patriæ hujus Urbis Tuæ, exterarum deinde Gentium nomine,

quas inter hic Scholarum Piarum Ordo longè, latèque diffunditur, habere nos decet, quòd ad hanc ipſam ſtudiorum rationem, quam nobis maximè, & unicè cordi eſſe intelligis, mirificè nos confirmaveris, quòd exiguum iſtud illorum ſpecimen perhumaniter excipiens, auſpicio Tuo decoraveris, quòd denique ad ampliora, quæ remanent, vires, atque animum addideris; ut quidquid proinde fauſtum, fortunatumque

oriri inde possit, id omne benignitati in nos Tuæ acceptum Urbes omnes intelligant, ac jucundissimè gratulentur. Id unum superest, quod omnium votis a Deo enixè petimus, obtestamurque, ut immortaliter quidem, si fieri possit; aut diutissimè saltèm Ecclesiæ bono, Reipublicæ felicitati, patriæ hujus Urbis ornamento, bonarum artium splendori, Ordinis etiam mei decori, & incremento incolumis vivas; Cœ-

loque

loque proximam Dignitatem, compositis imperii rebus, pacato dissidiorum æstu, difficillimisque temporum conditionibus superatis, in tranquillissimâ pace conserves, quam sibi meritò ex admirabili prudentiâ, solicitudine, dexteritate, assiduisque laboribus Tuis Orbis universus pollicetur.



A U-



AUCTOR LECTORI SUO.





NON *eſt cur, optime, & amice Lector, te pluribus modò velim; aut cum perhumaniter oculos in hanc primam Operis mei partem conjicere meditaris, ſtudium, vel benevolentiam hanc in me tuam diutiùs morer. Ipſa nimirum Libri frons apertè ſatis oſtendit, quid ex veteri, receptâque Scholarum conſuetudine hac primâ Philoſophiae parte complexus fuerim; accurata deinde Capitum, rerumque ſeries conſultò adjecta univerſum Operis hujus ordinem,*

ac

ac methodum exhibet; exigua denique Libri moles facilè patitur, ut haec omnia, si libeat, levi, neque dolendâ temporis jacturâ, deprehendas. Nonnulla tamen sunt, quae in ipso ferè limine monendum te duxi; non solùm quòd haec ipse per te conjicere fortasse vix poteras; verùm etiam quòd, etsi facilè haec omnia intelligeres, praestare tamen vel maximè videbatur, ut ea ingenuè potiùs a me tibi exponerentur, quàm ut ingenio, diligentiaeque tuae scrutanda, vel divinanda committerem.

Ac primò, quod ad Operis hujus consilium pertinet, erit fortasse cui mirum videatur, quod hoc praesertim tempore, & loco de Philosophicis Institutionibus edendis cogitaverim, quo sapientissimi viri, quibuscum certè neque aetate, ut ille ajebat, neque ingenio, neque diuturnâ exercitatione sim comparandus, hanc ipsam provinciam susceperint, eorumque labore, & industriâ Adolescentium commodo, & sapientiae studiosis praeclarè adeo, atque abundè consultum fuerit, ut illorum Opera omnium manibus terantur, omniumque voce meritò commendentur. Cui quidem reprehensioni facturus satis, si communem hanc esse dixerim, omnibusque liberam scribendi licentiam, comparandaeque lau-

dis

dis amorem, abutar otio, ac patientiâ tuâ, Lector optime; atque, ut ingenuè dicam quod sentio, stultissimè ineptiam, ac demens sim. Quid enim magis alienum, quàm ut in tantâ Librorum satietate, quibus in dies non animi solùm, sed oculi quoque miserrimè distrahuntur, gravi, diuturnoque labore, ac vigiliis alios, atque alios congeramus eo demum in pretio futuros, quo rivulus aliquis, dum superatis montium, valliumque spatiis oceano illabitur, haberi solet? Itaque neque temere, neque inutiliter, neque dissentiendi studio, neque vano novitatis, gloriaeque amore, sed meliori certè, saniorique consilio factum est, ut sapientissimis iisdem viris facem quasi praeferentibus, novas & ipse Philosophicas Institutiones adornaverim; ex quibus novam, &, quae facilè in ceteris optari poterat, utilitatem, & fructum oriri posse considerem.

Vix enim superioribus annis, primâque aetate Philosophiae studia, primoribus, ut ajunt, labris delibaveram Peripateticis castris nomen daturus, cum Academicas Ciceronis Quaestiones, aliosque id genus eloquentissimi Philosophi libros jucundissimè relegens tacitâ illâ quidem, sed vehementi prorsus vi, ac veluti pondere in Academiam ipsam paul-

latim

latim delabi me sensi, videbarque propemodum is ego fore, quem inter innumeras opinionum, Sectarumque ambages fors, ac fortuna in Peripateticae Disciplinae scopulum, ut cum Tullio loquar, impulisset; unde quemadmodum Augustinus lecto Ciceronis ejusdem Hortensio ad Philosophiae libertatem excitatum se testabatur, ita gravissimis demum Tullii rationibus & ipse impulsus Academicam discendi methodum impensiùs colere, & amare cœpi: nullamque deinde Philosophiae rationem, aut jucundiorem, aut ingenuo Juveni, bonasque artes profitenti utiliorem, aut inquirendae veritati, eruditioni, gloriaeque comparandae aptiorem putavi, quàm quae de singulis Philosophorum omnium opinionibus copiosè posset, ornatèque disserere. Quae quidem opinio sic animo concepta, altiùs adhuc insedit, cum nobiliorum Poëtarum carmina, qui vel superiori, vel nostrâ hac aetate latinas, etruscasque literas illustrarunt, ex more volutans, plura subinde in iis offenderem, quae, cùm ex penitioribus partim Platonicae, partim Stoicae, partim Epicureae, partim denique Pythagoricae Sapientiae fontibus sint derivata, aegrè intelligi, atque explicari posse videbam, nisi Peripateticae Disciplinae lumi-

mi-

minibus, aliorum quoque Philoſophorum lectio, & accurata ſententiarum omnium cognitio accederet. Quod verò tunc temporis in me non ſinè aliquâ certè verecundiâ experiebar, frequentiùs adhuc in ceteris obſervare deinde licuit; iis nimirum, qui, cùm ſingularem aliquam Sectam profiterentur, atque praeclarè ſingula Ariſtotelis, Carteſii, alteriuſve Philoſophi placita didiciſſent, Scholarum limen egreſſi, atque de Platonis, aut Epicuri ſententiâ interrogati, vel turpiter haerere, vel temere ea negare, aut aſſerere cogerentur, quae nunquam attigiſſent. Illud etiam ab ingenuo, boneſtoque veritatis amore quammaximè alienum eſſe ſentiebam, quod plures offenderem, qui datâ operâ, ſcriptiſque editis Philoſophi illius ſententiam diluere, atque evertere conarentur, quem nunquam noverant, vel leviter ſolùm, perfunctoriè, ac oſcitanter a primo, ut ajunt, limine, ſalutaverant; quod exemplis additis oſtendere hìc poſſem, niſi illorum nominibus hac etiam de cauſſâ parcendum ducerem, quòd omnium manibus illorum Opera, oculiſque verſentur. Illud itaque mihi ab eo uſque tempore quammaximè perſuaſum eſt, quod etiamſi Philoſophorum aliquis veritatem ſemper, & conſtantiſſimè fuerit aſſecutus,

ac

ac veritas ipsa in unâ dumtaxat Sectâ feliciter reperiatur, operae tamen pretium, ac necessarium omnino est in ceteras etiam Sectas veluti transfuga excurrere, aliorumque Philosophorum placita inquirere; tum ut amplioris eruditionis penus comparetur; tum ut omnes Sectarum omnium libri intelligantur, atque ingenuè exponantur; tum denique ut veritas ipsa clariùs possit, certiùsque defendi: eâdem ferè ratione, ut praeclarè monuit Augustinus, quâ etsi una sit Catholica Religio, quae divinitus inspirata, ac vera censeri, constantissimèque propugnari debeat, aliarum tamen Religionum Dogmata, quae nos haereses dicimus, sunt addiscenda, ut Catholicae veritas contra aliarum sophismata defendatur, earumque falsitas demonstretur. Quid verò, si nemo unquam Philosophorum, vel sapientissimus, afferri possit, qui non saepissime erraverit; si nulla Secta sit hactenus excogitata, in quâ plurima absurda, inutilia, falsa non doceantur; si denique veritas nulli Philosopho, vel certae Philosophorum Sectae se addixerit, sed per omnes diffusa, divisa, ac ferè discerpta subinde effulgeat? Plus nimio certè, ac nonnisi temere, & impudenter, ut arbitror, ita Philosophorum aliquem amaremus, ut omnia il-

illius dogmata amplecteremur; nimiùmque etiam sapientissimis viris, quibus eadem doctrinae gloria, laudisque pars debeatur, injurii essemus, si uni solùm perditè addicti, ceteros omnes indictâ caussâ reijceremus. Quod si caecus ille partium amor, qui in plerisque hominum serpit, tacitèque adolescit, nos ita abriperet, ut unam tantùm Sectam, unumque Philosophum amplecti velimus, eumque, ut par est, qui alios ingenio, sententiarum gloriâ, explicandique felicitate antecellat, fierine posse putabimus, ut melior ex ceteris eligatur, nisi argumenta cum argumentis accuratissimè comparemus, adeoque nisi priùs singulorum opiniones optimè teneamus? Solenniter *itaque, ut ego opinor, Philosophi nomine is abutetur, aut frustra ingenuo veritatis amore se incendi gloriabitur, qui ita se uni Philosopho, vel optimo, vel sapientissimo mancipaverit, ut ceteros negligat; neque priùs eâdem ingenii vi, eodemque studio, & industriâ singulas aliorum omnium opiniones excutiat, ut illam deinde liberè complectatur, in quâ uberior veritatis splendor effulserit.*

Haec itaque sunt, amice Lector, quae me vehementer impulere, ut id Philosophiae genus amaverim, & præ ceteris

ſemper ita complexus fuerim, ut in illuſtrioribus Philoſophorum omnium ſententiis addiſcendis omnem, quaecunque in me eſt, ingenii vim collocaverim. Neque aliud certè animo, atque oculis obverſabatur, ubi Philoſophicis praelectionibus habendis in florentiſſimâ hac Urbe omnium oppidò bonarum artium, praeſertim verò Philoſophiae laude mirificè commendatâ ex pluribus, qui id operis, provinciaeque pro rei dignitate, ſummâque cum gloriâ obire poterant, deſignari me contigit. Nihil etenim antiquius habui, quàm ut egregiis Adoleſcentibus, quos erudiendos acceperam, hanc Philoſophiae methodum demonſtrarem: ipſiſque ſemper author fui, ut ne Peripateticorum, Carteſianorum, Gaſſendiſtarumve nomine delectarentur, ſibique maximè perſuaſum vellent nobilius quiddam, atque illuſtrius eſſe Philoſophi nomen, quod ſingulas omnium Sectarum opiniones, omniumque gloriam jure quodam ſuo complectatur.

Quod quidem, etſi graviſſimis ego rationibus, quas partim ſuperiori loco expoſui, partim etiam inferiùs ſum aliquando proſequuturus, liberè, ac publicè profiterer, libentiùs tamen, atque alacriùs eâ quoque de cauſsâ movebar, quòd intelligerem hanc ipſam docendi methodum, atque Eclecticae, ut in-

inquiunt, Philosophiae genus, tum ad Instituti nostri rationem, tum ad optimi, sapientissimique Viri JOSEPHI CALASANTII, *quem Scholarum Piarum Ordo Auctorem suum, ac Parentem veneratur, mentem accedere. Is etenim cùm erudiendis Adolescentibus, omnique disciplinarum genere informandis seque, suique Ordinis alumnos novo quodam, ac inusitato amoris genere devovisset, certamque studiorum methodum iis, ut par erat, ostendere, optimisque legibus sancire cuperet, quâ erat maximâ, ac singulari prorsus ingenii, sapientiaeque gloriâ, apprime novit, ab hoc ingenuo eruditionis amore, ab hac pacatâ, modestâ, & quae pietatis assertores maximè deceat, discendi, docendique ratione plurimùm abhorrere, si in Sectam aliquam temere, & inconsultò juraremus; si pervicaci partium studio abrepti nosque, auditoresque nostros aeternis dissidentium Philosophorum jurgiis implicaremus; si denique cereos quamcumque in partem flecti Adolescentium animos invadentes, ingeniorum domini, ut cum Senecâ loquar, non duces haberi vellemus: neque aliam proinde studiorum rationem, legem, & ordinem feliciùs a nobis adhiberi posse putavit quàm qui dilucidè, breviter, accuratè peritiores, meliorisque notae Scriptores liberè, mo-*

desstèque amplecteretur, sive quae ex optimis meliora seligeret. Quoniam verò, *inquit ille*, in tradendâ quâvis Scientiâ ad discipulorum utilitatem plurimùm confert, si aliquâ facili, utili, & quoad fieri poterit, brevi methodo Magistri omnes utantur, operae pretium erit, ut ex peritissimis, expertisque in eâ Facultate viris, qui optimus fuerit, seligatur.

Par. II. Const. c. ult.

Quod certè, si in reliquis disciplinis omnibus optimè, sapientissimèque institutum est, meliori sanè ratione in gravioribus Philosophiae studiis praestasse juverit, quam tranquillè, modestèque tractandam esse testatur Seneca, in quâ plurima subinde Veteribus prorsus incognita deteguntur, & in quâ nullus unquam Philosophus, vel nulla Philosophorum Secta hactenus prodiit, vel unquam prodire fortaße poterit, quae omni ex parte probari, constantissimèque defendi possit. Id unum tamen votis, consilioque huic meo opponi maximè videbatur, quod haec opinionum varietas suis ex fontibus, ex ipsis nimirum Philosophorum omnium Operibus haurienda, non sinè maximo labore, industriâ, temporisque jacturâ comparari posset; neque tamen Authores ipsi omnibus suppeterent, quibus hoc in novo, sic etenim loquar, Philosophiae genere uterentur.

Plu-

Plures siquidem doctissimi Viri Institutiones, & Elementa Philosophiae Adolescentium commodo conscripsere; quos inter, & honoris, & grati animi caussâ, quippe qui plurima ab illis accepisse me ingenuè fatear, libentissimè nomino Purchotium, Hamelium, Regium, Bernerium, Baelium, Clericum, Antonium Le Grand; quis etenim possit Mailathum, Lermam, Semery, Maurum, & qui ceteros omnes, novissimis praesertim editionibus, gratiâ, perspicuitate, dictionisque nitore facilè antecellit, Goudinum, aliosque sexcentos recensere, qui varias Peripateticorum Scholas illustrarunt? Cùm tamen illorum singuli in Sectam aliquam juraverint, cujus opiniones, & dogmata exponerent, hanc quidem praeclarè, impensè, uberrimè adornarunt, ceteras autem, vel facilè omnino praeteriere, vel leviter attigerunt; ut non universae quidem Philosophiae, ut ego opinor, sed Cartesianae solùm, aut Peripateticae doctrinae Elementa, Institutionesque tradere, ac inscribere posse viderentur: nisi fortasse temere existimaverint Philosophiam ipsam unius Peripateticae, aut Cartesianae doctrinae finibus contineri. Itaque plura, quae ex variâ Auctorum lectione adnotaveram, atque fortuitò in ad-

adversaria congesseram, Auditoribus meis distribuere cœpi; cùmque jam plus aequo illorum moles, & copia excrevisset, omnia in varia veluti Capita, certasque classes ita digerere, atque disponere institui, ut singulas Philosophiae partes complecterer, quas in publicis deinde lectionibus Adolescentes ipsi de more exciperent. Verùm ne maximâ, & incredibili temporis jacturâ, gravique molestiâ, atque alterius etiam oculi detrimento singula exscribere cogerentur; atque ut nitidior hic Philosophiae Cursus, & ab innumeris, quae in exscribendo irrepere plerumque solent, lacunis, & mendis immunior per manus traderetur, publicum hunc laborem, neque meis solùm, sed exteris etiam Auditoribus communem reddere decrevi; quod ita jam praestiti, ut hanc primam Philosophiae partem, quae tibi nunc sistitur, ceterae brevi, nulloque temporis intervallo sint secuturae.

Ceterùm an suscepti consilii partes impleverim, & Philosophiae universae Institutiones pro rei dignitate, ac votis adornaverim, alii viderint. Id unum certè gratulari posse mihi ipse videor, studiosisque Adolescentibus ingenuè polliceri, nullam ex illustrioribus, utilioribusque veterum, recentiorumque Philosophorum

sen-

ſententiam eſſe, quae ingenuè, dilucidè, accuratèque expoſita, illuſtrata, ſuiſque argumentis confirmata non fuerit: quod non ex Logicâ quidem, quae hanc variam eruditionem, doctrinaeque genus minimè patiebatur, ſed ex ceteris Philoſophiae partibus facilè deprehendi poterit. Quod ſi non omnia, quae ab Auctoribus ipſis afferuntur, complexus fuerim (neque enim propoſita ferebat brevitas, aut ejuſmodi Inſtitutionum genus, ut omnium omnia ego proſequerer) ſelectiora tamen, & illuſtriora, eaque certè, quibus maxima vis inerat, palam feci; & numeris margini adjectis Scriptorum loca adnotavi, *ex quibus illa deſumpſeram; ut ſi qui fortaſſe ea conferre, vel uberiùs tractata ſuis in fontibus haurire cuperet, id nullo negotio aſſequeretur. Eâ quoque de cauſsâ ipſa ſubinde* Scriptorum *verba ſic textui inſerui, ut diversâ quidem characterum formâ, & adjectâ notâ a ceteris facilè diſtinguerentur, ſic tamen apta, connexaque forent, ut integra ſermonis ſeries ſibi conſtaret, neque difflueret oratio, ſed aequabili, nativoque ordine laberetur.* Non *erit itaque cur paullo delicatiores aliqui, quos hoc eruditionis genere minimè delectari intelligo, mihi ſuccenſeant; iis etenim integrum, liberum-*

que est characterum varietatem, notasque margini illitas negligere; neque aliter Ciceronis, alteriusve Scriptoris verba legere, quàm si a me solùm concepta, eodemque characterum genere descripta forent. Aliquo tamen in pretio apud politiores viros, qui eruditionis amore ducuntur, haec esse scio, tum quod Auctorum sententiae suis ferè coloribus, ac verbis expressae legantur; tum etiam quòd uno, eodemque tempore opinio quaedam, sive sententia exponitur, eximiique Philosophi verbis confirmatur, unde sermoni gravitas quaedam, splendor, elegantia, & robur accedit; quemadmodum hoc ferè sensu docuit, exemploque suo confirmavit eloquentissimus Cicero: Genus hoc, *inquiens*, sermonum positum in hominum veterum auctoritate, & eorum illustrium plus nescio quo pacto videtur habere gravitatis; Itaque ipse mea legens sic afficior interdum, ut Catonem, non me loqui existimem. *in Læl. de Amic.*

Ciceronis etiam, Aristotelis, Gassendi, aliorumque exemplo perpetuâ oratione, & quâ potui, puriori, nitidiorique uti malui, quàm variis interrogationibus, ut olim Plato, nuperque Galileus, rem conficere, vel ex solenni Scholarum ritu conclusiones, probationes, objectiones, instan-

ſtantias diſtinguere; tum quòd ejuſmodi perpetuae orationis genus non Rethorum modò, ſed Philoſophi etiam eſſe, neque aliter homines, aliter Philoſophos loqui oportere certiſſimè noveram; tum etiam, quod è re futurum maximè videbatur, ſi egregii Juvenes, qui a mitioribus Eloquentiae ſtudiis ad haec ſeveriora Philoſophiae convolant, hoc rudi, incomptoque orationis cultu, & vocum barbarie deterriti novum hoc ſtudiorum genus minimè aſpernarentur; tum denique quòd Adoleſcentes ipſi aſſueſcere facilè poſſunt, ut ex opinionibus, rationibuſque fuſiùs expoſitis, quod & in Hiſtoricis, Juris-Conſultis, Oratoribuſque legendis praeſtandum eſt, illarum vim, ac veluti nervos breviſſimè inquirant, & ad exactam, ſi libeat, ſyllogiſticae formae normam traducant: longè nimirum facilius eſt ex uberiori, longiorique Oratione ſenſum elicere, quàm brevem, conciſamque fuſiùs exponere.

Atque iſta quidem de Operis hujus occaſione, conſilio, ac methodo monitum te, Lector, certioremque volui. Quod verò ad diviſionem pertinet, Philoſophicas Inſtitutiones haſce in quinque Tomos diſtribui, quorum primus Hiſtoriam Philoſophicam, Logicam, & Metaphyſicam complectetur: Alter Phyſicam Generalem: Tertius Tra-

ctatum de Coelo, & Mundo, sive de Corporibus inanimatis: Quartus de Animâ, ubi etiam illustriora Pythagoricae, Platonicae, Chaldaicae, Egyptiaeque disciplinae dogmata, & mysteria, sive Ethnicae Theologiae lumina proponentur: Quintus denique Ethicam sive morum doctrinam continebit. Quandoquidem verò plurima, quae in Physicâ demonstrantur ex variis Geometriae fontibus, sive Geometrarum libris repetenda sunt, ne tyrones Philosophi varios Auctores consulere cogerentur, aut haec ab aliis demonstrata supponere, Philosophicis Institutionibus Mathematicas etiam addere decrevi, quibus novâ, clariori, breviorique methodo, quàm hactenus alii praestiterint, utiliora, ac nobiliora Geometriae elementa ex Euclide, Apollonio, Archimede, Hugenio, Torricellio, aliisque compluribus selegi, ac demonstravi. Cui quidem Mathematicarum Institutionum Libello distinctum, sextumque locum concessi; perinde erit tamen, si ille cum Historiâ Philosophicâ, & Logicâ in primo Tomo conjungatur; ut Metaphysica, & Ethnicae Theologiae Dogmata a quarto Tomo sejuncta, Metaphysicaeque unita Tomum sextum efficiant. Ceterùm in singulis Philosophiae Partibus cautum maximè, curatumque est, ut nitidae adeo prodirent, ut in ipsis

ipsis neque typorum elegantiam, neque characterum formam, neque in corrigendis erroribus diligentiam, neque Tabularum aere incisarum nitorem, claritatemque desiderares. Quae quidem singula etsi non absque mediocri certè labore, atque industriâ curaverim, alacri tamen, sereno que animo praestiti; cùm praesertim ingenuus, ac vehemens quidam amoris, gratique animi sensus, quo Ordinem hunc meum, & Urbem hanc praestantissimam complector, vires adderet, ac fortiùs adhuc incenderet. Maximo siquidem, atque optimo jure omni virium conatu mihi enitendum esse sentiebam, ut aliquâ saltem ex parte, meliorique, quâ hactenus poterat, ratione Ordinis ejus decori, & incremento consulerem, qui me a primâ aetate omni semper studiorum cultu, doctissimorumque Praeceptorum institutione ad eam sapientiae laudem, quam in ipso singuli profitentur, ita aluit, excitavitque, ut quidquid sum, id omne propemodum ipsi, amantissimisque Praeceptoribus meis deberi intelligam: ac meritò certè reprehendi posse videbar, nisi memorem hunc, gratumque animum meum sic palam profiterer, ut dum Collegae mei tum Graecis, Latinisque literis illustrandis, tum Fidelium cordibus ad virtutis amorem, mo-

morumque sanctitatem divini Verbi praeconio excitandis, praesertim verò Juventuti bonis artibus, omniumque Scientiarum lumine erudiendae sedulam, laudatamque operam impendentes de re literariâ praeclarè merentur, ipse etiam illorum exemplo incitatus hanc Spartam, quae mihi contigerat, pro viribus adornarem. Plurimùm quoque florentissimae huic Urbi, praestantissimisque Civibus debere me sentio, quòd me eximiâ semper, ac singulari propemodum benevolentiâ, & amore sint prosecuti, quòd nobili, ac frequentissimâ Auditorum coronâ, iisque significationibus maximè, cumulatèque devinxerint, quarum immortalis certè futura est in me recordatio, quasque uberiùs hìc etiam testarer, nisi cum aliquâ mei laude conjunctae eaedem quodammodo viderentur. Omnes itaque hinc facilè intelligent, quod, etsi publico primùm Philosophorum omnium, deinde verò domestico Scholarum Piarum, quae ubique Gentium jam florent, commodo Institutiones hujusmodi consecravi; eas tamen praecipuo quodam amoris titulo Florentinis Adolescentibus Auditoribus meis, quorum cura, atque eruditio mihi demandata est, pro injuncto munere destinaverim. Hoc unum superest, optime, & amice Lector, ut industriam, consiliumque hoc

meum equi bonique consulas: tibique maxime persuasum velis, nihil mihi, aut optabilius, aut jucundius, vel honorificentius accidere unquam posse, quàm si ex Philosophicis hisce Institutionibus uberem illum eruditionis, scientiaeque fructum consequaris, quem in iis adornandis prae oculis, atque in votis habui; sin verò aut partium studio, aut diverso Philosophiae genere, aut meliori denique, & largiori fonte delectaris, Librum hunc quidem, Auctoremque suum valere sinas; sed voluntatem hanc in te meam, ingenuumque consulendi tibi animum, perhumaniter complectaris.



IN-



INDEX CAPITUM.

PHILOSOPHIÆ

PARS PRIMA

SIVE LOGICA.





Cap. V.

Logicæ Pars Secunda.

Logi-

Logicæ Pars Tertia.

Logicæ Pars Quarta.



A P-

APPROBATIONES.



DOmino Abbati Moniglia, ut videat has *Institutiones Philosophicas, & Mathematicas*, ac referat.

Datum in Archiepiscopali Palatio die 12. Januarii 1730. ab Inc.

Joseph Maria Archiepisc. Florent.

MAndante Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo nostro Florentino, Cl. Viri Eduardi Corsini ex Cler. Reg. Scholarum Piarum *Institutiones Philosophicas, & Mathematicas* summo gaudio perlegi: eodemque gaudio, quod ipse percepi, perfusum iri non dubito unumquemque, qui has eruditissimas Institutiones perlustraverit; quum in iis sana, ac vera doctrina contineatur, ad quam bonis omnibus erat in votis, ut Adolescentes nostri, tandem feliciter pervenirent. In quibus quidem a me diligenti studio perlectis nihil offendi, quod, aut Fidei Orthodoxæ vel minimùm adversetur; aut probis moribus minùs consentaneum videatur: quin immo reperi singula verba, singulasque sententias, opinionesque ab eo cl. Auctore derivari, cujus ingenuam Sapientiam æquè ac integram Pietatem semper sum admiratus. Quamobrem non solùm non est, cur hujusmodi optimum Opus in publicam lucem non exeat; sed quò citiùs exire illud contigerit, eò gratius erit omnibus, qui

sin-

ſinceram, & non fucatam Philoſophiam amant, & conſectantur. Ita ego cenſeo

Ex Ædibus meis XIII. Kal. Februarii MDCCXXX. ab Incarn.

Joſephus Cajetanus Moniglia, in Florentinâ Studiorum Univerſitate Inſtitutionum Cæſarearum publicus Lector, & in Florentinâ Nobilium Academiâ Juris Canonici, ac Civilis, nec non Philoſophiæ Moralis Profeſſor.

Attentâ ſupradictâ Atteſtatione, Imprimatur

Joſeph Maria Archiepiſc. Florent.

ADm. Rev. Patri D. Conſtantino Rotignio Monacho Caſſinenſi Lectori Theologo, ut videat pro S. Officio has *Inſtitutiones Philoſophicas, & Mathematicas*, & referat

Datum in S. Inquiſit. Florentiæ die 9. Januarii 1731.

Fr. Vincentius de Comitibus a Bergomo Min. Conv. Inquiſitor General. Florent.

PLurimi quidem ſunt cum ex Italis noſtris, tum ex exteris Gentibus ſapientiâ, & ingenio præſtantes Viri, qui præclara Veterum, ac Recentiorum Philoſophorum inventa, in commodum præſertim ſtudioſæ Juventutis multâ cum laude collegerunt, & propriis etiam animadverſionibus illuſtrarunt. At quoniam vel pro amore Sectæ, cui quis eorum peculiariùs adhæſerit, vel pro ſibi propoſitâ conciliatione illorum, inter quos plurimùm diſtat, vel demum pro temporum, perſonarumque conditione, aliqua uberiùs, aliqua verò preſſiùs,

quàm

quàm certè par erat, aliqua etiam indiligentiùs, aut minùs accomodatè ad receptam modò apud ſapientes philoſophandi rationem, ſint proſecuti, adeout in ſingulis non pauca deſiderari videantur, ſi ea maximè ſpectentur, quæ Philoſophiæ ex noviſſimis clariſſimorum Philoſophorum, atque Geometrarum obſervationibus acceſſerunt; id adhuc optandum ſupereiat, ut novas quis Philoſophicas adornaret Inſtitutiones perfectiores ceteris, & Mathematicis etiam diſciplinis locupletatas, quibus ſcilicet, depoſito partium ſtudio, illuſtria veterum, ac recentiſſimorum placita, brevi accuratâque methodo, modeſtâ, gravique criſi, ac politiori ſtylo expoſita continerentur. Quod quàm feliciter præſtitum ſit in hoc Opere, quod juſſibus obtemperans Reverendiſsimi Patris Inquiſitoris diligenter evolvi, omnes ex ejus lectione facilè intelligent. In eo nihil offendi, quod non doctrinam, pietatem, religionemque redoleat ſapientiſſimi Auctoris; nihil, quod cùm Fidei noſtræ, morumque Regulis non adprimè conſentiat; quapropter meo certè judicio nihil impedit, quominus publici juris fiat, ſi ita videbitur, &c.

Ex Abbatiâ Florentinâ XII. Kal. Februarii MDCCXXX. ab Inc.

D. Conſtantinus Rotignius Monachus Caſſinenſis Sacræ Theologiæ Prælector.

Attentâ ſupradictâ atteſtatione, Imprimatur

Fr. Vincentius de Comitibus a Bergomo Min. Conv. Inquiſit. General. Florent.

Imprimatur

Philippus Bonarota Senat. Audit. Reg. S. C.

JO-

JOSEPH A S. FRANCISCO

Clericorum Regularium Pauperum
MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM
Præpositus Generalis.

CUM Opus, cui Titulus: *Institutiones Philosophica, & Mathematica ad usum Scholarum Piarum*, a Patre Eduardo a S. Silvestro Religionis Nostræ Sacerdote compositum, duo ex Nostris, quibus commissum fuit, recognoverint, atque approbaverint; ut typis mandetur, si iis, ad quos spectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus.

Datum Romæ in Ædibus nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 28. Aprilis 1731.

Joseph a Sancto Francisco
Præp. Generalis.

Donatus Maria a S. Philippo Nerio
Secretarius.



IN



IN UNIVERSAM
PHILOSOPHIAM
PRÆFATIO.



De nomine, origine, incremento, partibus, ac præstantiâ Philosophiæ; atque de methodo, quâ comparari illa debet.

I. PERIS, & Instituti nostri consilium, quo illustriora veterum, recentiorumque Philosophorum placita, elegantiori, quo poterat, partium ordine, meliorique rerum delectu, pluribus veluti ex fontibus in rivum unum derivata, simulque composita complecti libuit, ferè nos impulit, ut in ipso pulcherrimæ Facultatis limine illius originem, incrementa, partes, præstantiam, & methodum, quâ comparari possit, exponeremus; non solùm

quòd in singulis Philosophiæ partibus, quæ *habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur* (a) *, plurima dicenda nobis occurrent, quæ vix intelligi, vel explicari posse videntur, nisi priùs accuratissimè demonstretur quam illa originem sortita fuerit, quibus incrementis paullatim adoleverit, quâ denique temporum serie, opinionumque discrimine principes in illâ Viri floruerint; verùm etiam quòd, ut sapientissimi Homines arbitrantur, plurimùm deceat memori quadam honoris, gratique animi significatione illos prosequi, quos in uberrimo, jucundissimoque Sapientiæ studio auctores, ac veluti duces habuimus: *benignum est* siquidem, *& plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris* (b).

II. Atque, ut ab ipso Philosophiæ nomine exordiamur, nihil est aliud Philosophia, si græcum nomen ex φίλος *amans*, & σοφία *sapientia* compositum *interpretari velis*, *quàm studium*, & amor *Sapientiæ; Sapientia autem, ut a veteribus Philosophis* (c) *definitum est*, *rerum divinarum, & humanarum, caussarumque, quibus hæ res continentur, scientia*, & cognitio (d); unde præclarè Philosophiam ipsam, & elegantissimè describit Cicero: *Rerum divinarum, & humanarum scientiam, cognitionemque, quæ cujusque rei*

(a) *Cicer. pro Archia.* (b) *Plin. Proëm. Histor. Nat.* [c] *Plat. ap. Ammon. in Isagog. Porphyr. & Stoici apud Plutarch. de Plac. Procem. lib.* 1. [d] *Cic.* 2. *Offic.*

* Est enim in *Philosophiâ* admirabilis quædam continuatio, seriesque rerum, ut alia ex aliâ nexa, & omnes inter se aptæ, colligatæque videantur. *Cicer. de Nat.* 1.

rei caussa sit (a) *: quo sanè cognitionis, sive Sapientiæ genere Philosophiæ natura pulcherrimè exprimitur; quidquid enim ab intellectu nostro concipitur, vel in uberrimo Philosophiæ studio pertractatur, illud ab homine, vel a Deo factum est, ut accuratiùs, & opportuniùs ostendetur, ubi de variis Philosophiæ partibus disseremus; adeoque res illæ, quæ in Philosophiâ cognoscuntur, divinæ, vel humanæ meritò dici possunt: nisi fortasse verisimiliùs existimaveris, ejusmodi res, quas in Philosophiâ contemplamur, divinas, & humanas ideo vocari, quòd, licèt in pluribus, ac ferè innumeris creaturarum generibus divisæ, ac dispertitæ illæ sint, nobiliori tamen ratione in Deo, vel in homine effulgeant.

III. Neque aliud certè sensisse videtur egregium illud Sapientiæ lumen Pythagoras, qui primus Philosophiæ, sive Philosophi nomen invenit. Is etenim, cùm ad Olympicos Græciæ ludos, quò universa ferè Græcia de more convenerat, descendisset (b); vel, ut alii (c) referunt, cùm Phliuntem Arcadiæ urbem venisset, copiosèque plurima coram Leonte Phliasiorum, vel Sicyoniorum Tyranno de humanis, divinisque rebus maximo, & incredibili omnium plausu, & admiratione disseruisset, interrogatus, quâ maximè arte confideret, quemve se profiteretur; artem quidem se scire nullam, neque se sapientem esse respondit; sed, sive quòd mo-

(a) *Tusc.*4. (b) *Val. Max.*8. *c.* 7. [c] *Cic. Tusc.* 5. *& Laërt.* 8. *seg.* 8.

* Ut enim res sciri dicatur, exploratam esse oportet causam, propter quam ita est. *Arist.* 1. *Poster. Analit. c.*2.

deſtiùs ipſe de ſe loqueretur; ſive quòd ingenii noſtri tenuitatem agnoſceret; ſive denique quòd magnificentiùs, ac ceteri conſueverant, de Deo ſentiret (*ſapientis enim nomen magnum eſt, ſolique Deo convenit* (a)) ſe amatorem Sapientiæ, ſive Philoſophum nuncupavit. Quod nomen adeo poſteris placuit, ut, cùm *antea qui modo quodam laudabilis vita aliis præſtare videbantur*, Sophi, ſive *Sapientes appellarentur* (b), omnes deinde novo, modeſtiorique nomine Philoſophi vocari maluerint; niſi fortaſſe priſtinum Gentis, aut dignitatis nomen ſervaverint, ut Druidæ, Magi, Brachmanes, aliique plurimi præſtiterunt.

IV. Quodſi a Pythagora nomen, & illuſtre decus accepit Philoſophia, longè tamen antiquior eſt, quàm ut illius origo Pythagoræ, ſive Græciæ Philoſophis concedatur. Pythagora ſiquidem, ceteriſque Græciæ Sapientibus antiquiorem eſſe Philoſophiam, inter innumera Veterum teſtimonia, quibus id egregiè probari ſolet, illud etiam argumento eſſe poterit, quod ante Pythagoram, & antiquiora Græcanicæ Sapientiæ lumina, apud barbaras quoque Gentes plurimi ingenii laude, & Sapientiæ ſtudio floruerunt, ut *Philoſophiam* ipſam *a Barbaris initia ſumpſiſſe quidam autument* (c). Nam Perſis Magos, Babyloniis, & Aſſyriis Chaldæos, Indis Brachmanes, ſeu Gymnoſophiſtas, Celtis, ſeu Gallis Druidas Sapientiæ duces, & auctores fuiſſe compertum eſt; ne Zamolxim Getam, Anacharſim Scytham, Ochum Phœnicium, Athlantem

(a) *Plato in Phædr.* (b) *Auguſt.* 8. *de Civit. c.*2. (c) *Laërt. in Proëm. ſeg.*1.

tem Lybicum, Mercurium Germanum, Sinensem Confusium, Abarim Hyperboreum, Orpheum Thracem *, aliosque innumeros commemoremus, quorum est inferiùs mentio reditura.

V. Cùm itaque ab antiquissimis usque temporibus aliquod Philosophiæ genus apud Nationes omnes floruerit, perperam, atque inutiliter inquireretur, quo primùm tempore, quo duce, & auctore Philosophiæ studium incœperit? cùm unus, idemque fuerit hominis, atque Sapientiæ fons, & origo; eodemque tempore, quo genus humanum, Sapientiæ quoque studium incœperit. Si etenim Philosophia partim ab illius ordinis, & pulchritudinis, quam in variis Universi partibus intuemur, admiratione; partim ex ingenito amore, quo naturâ ipsâ ad rerum cognitionem impellimur, originem duxit, ut Plato (a), Aristoteles (b), aliique sapientissimi Viri arbitrantur, dubitari certè non poterit, quin primus homo, quicumque ille fuerit, dum corporum pulchritudinem, varios siderum motus, constantem rerum ordinem contemplaretur, incredibili illorum omnium admiratione correptus, incredibili quoque discendi studio,

(a) *In Theat.* (b) *1. Metaph. c. 2. vide infra num.* 21.

* Sylvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob id lenire tigres, rabidosque leones:
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Horat. Art. Poët. v. 391.

vel inquirendæ veritatis amore non exarſerit: niſi fortaſſe putaveris meliorem eſſe nunc animi naturam, & ingenii vires in homine, dum innumeris ægritudinibus undique circumfunditur, quàm cum ex optimi, ſapientiſſimique Artificis manibus, in hoc ampliſſimum orbis theatrum prodiret.

VI. Ac certè, quemadmodum a ſacris Literis erudimur, primum hominem, cui cœleſtia, terrenaque corpora intueri licuerit, fuiſſe Adamum; ita quoque ab illis oſtenditur (a), inditam illi fuiſſe Philoſophiam; non ſolùm quòd in ſtatu perfecto, perfecto nimirum per cognitionem rerum intellectu, atque per honeſtatem morum voluntate creatus fuerit; verùm etiam quòd ille ſingulis animalibus *nomina primus impoſuerit*, quod *ſumma Sapientia Pythagoræ viſum eſt* [b], *neque ſinè Sapientiâ fieri potuiſſe Plato arbitrabatur* [c]; cùm *nomen, quod vocavit Adam, ipſum ſit nomen ejus* [d], hoc eſt ejuſmodi nomina non ex hominis arbitrio ſignificarent, ſed intimam rerum naturam, & proprietates omnes accuratiſſimè exprimerent.

VII. Maximas itaque, ut Plato conſueverat (e), & immortales gratias Deo habere nos decet; cùm ille veluti primus Sapientiæ fons, & origo [f], *luminum pater* (g), mentis humanæ ſplendor (h) homini ad imaginem ſui formato

(a) *Eccleſ. c. 17. v. 6. vidend. D. Thom. 1. part. quæſt. 94. artic. 3.* (b) *Cicer. Tuſc. 1.* (c) *In Cratylo.* (d) *Gen. c. 2. v. 20.* (e) *Vid. Ficin. in vita Plat. atque Lactant. Divin. Inſtit. 3. c. 9.* (f) *Sapient. 9. v. 4. & Eccleſ cap. 1. verſ. 1.* (g) *Jacob. epiſt. c. 1. v. 17. vid. & Proclum in Plat. Theol. c. 1.* (h) *Joann. Evang. c. 1.*

to non incredibilem folùm Sapientiæ amorem impresserit, ut *insatiabilis in illo foret veri videndi cupiditas* (a), *tantusque cognitionis amor, & scientiæ, ut nemo dubitare posset, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur* (b); sed maximo quoque beneficio in ipsis *hominum visceribus Sapientiam posuerit* (c): ut illa proinde meritò *donum, & inventum Deorum* (d): *quò nihil a Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est, aut dabitur* (e), haberi consueverit *.

VIII. Quâ verò serie post primi Parentis peccatum, offusamque menti nostræ caliginem, quibusve incrementis Sapientiæ studium adoleverit, definiri vix potest. Credibile est tamen illud a patribus in nepotes hæreditarium veluti munus ubique transmissum ad hæc usque tempora floruisse; concedique facilè poterit, Adamum ipsum plurima posteros docuisse, quæ vel a Deo didicerat, vel propriis ipse studiis, & observationibus deprehenderat; præsertim verò tranquillam aëris temperiem, fontis, plantarum, animalium pulchritudinem, quas in deliciarum horto fuerat expertus, additis etiam subinde la-

(a) *Cicer. Tusc.* 1. (b) *Cic. de Finibus* 5. (c) *Job c.* 38. *v.* 36. (d) *Cic. Tusc.* 1. *ex Plat. Timæo.* (e) *Cic.* 1. *de Leg. & de Univers.*

* . . . . . Deus ille fuit, Deus . . . .
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia; quique per artem
Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris
In tam tranquillo, & tam clarâ luce locavit.
Lucr. de Epic. lib. 5. *v.* 8.

lacrymis, ostendisse. Id certè a Josepho (a) memoratum, Sethi nepotes, cùm ab Adamo duplex diluvium ignis, & aquæ futurum accepissent, duabus columnis marmoreâ, & lateritiâ siderum observationes, aliarumque Scientiarum monumenta inscripsisse; ut in marmoreâ quidem aquæ, lateritiâ verò igni superstite observationes illas ad posteros derivarent. Quod tamen cùm a nullo certæ fidei scriptore memoretur, fabulosum esse meritò existimatur (b). Ceterùm quid conjecturis, aut fabulis immoremur, dum pluribus sacrarum Literarum auctoritatibus in Abrahami, Enochi, Jacobi, Josephi, Jobi, & Moysis historiâ mirificè demonstratur; apud antiquissimos etiam Ebræorum Patriarchas aliquod Sapientiæ studium, rerumque cognitionem non interruptâ serie viguisse? quemadmodum, & a sacris Literis, & a profanis etiam scriptoribus erudimur, apud gentes illas priùs, & illustriùs Philosophiam extitisse, quæ, cùm essent Ebræorum genti finitimæ, cum illâ faciliùs consuetudinem habuere, ut de Assyriis, Phœnicibus, aliisque plurimis ostendetur.

IX. Quin etiam plurimi ex veteribus, recentioribusque scriptoribus (c) arbitrantur, omne Sapientiæ studium a Judæis, veluti ex fontibus in exteras omnes gentes manasse; ut Trismegi-

(a) *Antiq. Jud.* 1. *c.* 3. (b) *Vid. Huet. Demonstr. Evang. Prop.* 4. *c.* 2. *& Selden. Otior. Theol. lib.* 1. *exerc.* 1. §. 10. (c) *Justin. Martyr. Paran. ad Graec. Theophil. ad Autolyc. Joseph.* 1. *contra Appion. Huet. Demonst. Evang. Prop.* 4. *Natal. Alex. Tom.* 1. *Hist. de* 4. *Mundi atate c.* 7. *art.* 1.

giſtus (a), Numa (b), Pythagoras (c), Plato (d), Ariſtoteles (e), ceterique veteres Philoſophi ex ſacris etiam Literis plurima accepiſſe dicantur, quæ deinde corrupta, erroribus, fabuliſque larvata vulgarent. Quamvis tamen hæc eruditè, ac ingenioſè a ſapientiſſimis viris, præſertim verò Huetio, & Natali Alexandro tradita, & illuſtrata maximè fuerint, nullâ tamen ſatìs firmâ ratione id oſtendi poſſe putamus; cùm præſertim divinæ Literæ, ut Epiphanius (f), Auguſtinus (g), aliique (h) exiſtimant, nonniſi poſt Olympiadem CXXXII. ſub Ptolemæo Philadelpho in Græcam linguam primùm converſæ fuerint; adeoque vix antiquioribus Græciæ Philoſophis Heſiodo, Homero, Pythagoræ innotuerint (i), ex quibus deinde recentiores omnes Plato, Epicurus, Ovidius opiniones, & dogmata ſunt mutuati.

X. Quod ſi in legibus, ritibus, cæremoniis, ſi in præteritarum rerum hiſtoriis, ſi in præceptis, & cognitionibus naturalibus, quæ apud Ebræos, exteraſque Gentes viguerunt, ſimilitudo maxima reperitur, ut uberrimè, & elegantiſſimè demonſtrare videtur Huetius, reſponderi

(a) *Juſt. loco cit. Clem. Alex. Strom. 1. Aug. de Civ. 8. c. 2. Theodor. Therap. 6.* (b) *Clem. Alex. apud Euſeb. Præp. lib. 9. c. 3.* (c) *Hermipp. apud Joſeph. 1. contra Appion. & Origen. 1. contra Celſum.* (d) *Ariſtob. & Numen. apud Euſeb. Præp. 9. cap. 3. & lib. 11. cap. 6.* (e) *Clearchus Peripat. apud Euſeb. lib. 9. c. 5. & Joſeph. contra Appion.* (f) *De Menſur. & Pond.* (g) *Lib. 18. c. 11. de Civit.* (h) *Du-Pin Diſſert. Prælim. ad Sacr. Script. Baron. &c.* (i) *Vid. Joſeph. Antiq. lib. 12. c. 2. & 1. contr. App. & Philo in vita Moyſ.*

facilè poterit, ex hac similitudine, quæ plerumque certè tenuissimis conjecturis innititur, inferri non posse, quod Ægyptii potiùs, Phœnices, Itali ex Ebræorum fontibus ritus, leges, historias, & cognitiones proprias acceperint, quàm quod ex Phœnicibus, Italis, & Ægyptiis Ebræi; cùm præsertim ipsius Scripturæ testimonio manifestissimè demonstretur; Gentes omnes; non solùm antequam Moyses Judæorum populo leges, sacrosque ritus proponeret, sed ab antiquioribus etiam temporibus ritus, legesque proprias ab Ebræorum legibus diffidentes habuisse, quas religiosè, constantissimèque servarunt: atque incredibile est sanè, quod Ægyptii in Isidis cultu, in Sacerdotum vestibus, aliisque ritibus Ebræos, quos acerrimo odio insequebantur, æmulari voluerint; quod tamen factum oporteret, si Huetio, ceterisque hac in parte assentiremur. Illud itaque verisimilius existimamus, quod ideo Gentium ritus, ac cæremoniæ Judæorum ritibus similes sint, quòd omnes ferè Judæorum ritus, ac leges sapientissimo Dei consilio ex profanis etiam Ethnicorum ritibus desumptæ fuerint: quod inter ceteros Ecclesiæ Patres Chrysostomus conceptis verbis asseruit: *Ne opineris*, inquit, *Deo indignum, quod Magi per stellam vocentur; hoc enim modo omnes Judæorum cæremonias, omnesque ritus, & sacrificia, atque purificationes, & Neomenias, & arcam, templumque ipsum reprobabis; siquidem hæc omnia originem a Gentium ruditate traxerunt. Sed Deus ob deceptorum salutem, per ea ipsa se coli passus est, per quæ illi Dæmones ante coluerant, illa in melius inflectens, ut eos paullatim a consuetudine*

suâ

suâ reduceret, & ad Philosophiam perduceret altiorem [a]; cujus etiam sententiam egregiè confirmavit Theodoretus: *Sapientissimus itaque*, ait, *Moyses, immo per Moysem Deus, cùm intelligeret, non facilè Ebraos, quos in Ægypto mores imbibissent, deponere posse, similes ritus instituere decrevit, sensim eos a priscis erroribus disjungens* (b). Quæ quidem de civilibus etiam legibus intelligi commodè poterunt, nisi fortasse verisimilius existimaveris, ideo Solonis, Lycurgi, Moysisque leges inter se similes esse, quòd leges omnes, a quocumque demum latæ, vel institutæ fuerint, ex naturali rationis lumine, & ex æqui, honestique amore, qui in singulis hominum cordibus naturâ reperitur, originem duxerint.

XI. Illa verò similitudo, quam inter Poëtarum fabulas, atque Ebræorum historias reperiri putat Huetius, tanti profectò non est, ut Apollinem, Bacchum, Jovem, Evandrum, ceterosque Deos omnes ex unâ Moysis historiâ, quemadmodum Venerem, Musas, ac reliquum Dearum gregem ex Sephoræ, & Mariæ gestis rebus desumptum, ac veluti depictum existimemus: quasi verò ex ipso Scripturarum testimonio manifestissimè non ostendatur, longè ante Moysis ætatem, Deorum nomina, historiam, cultus apud finitimas gentes uberrimè floruisse; aut fortuitò prorsus fieri non potuerit, ut res ab Hercule, & Sampsone gestæ; Iphigeniæ, & Jephtis filiæ casus; Noë, & Bacchi labor in serendis viti-

(a) *Homil. 6. in Math.* (b) *Serm. 7. de Sacrific. vid. etiam Cyrill. Alex. lib. 16. de Adorat.*

tibus, aliquâ in parte similes fuerint, quin Sampson cum Hercule, Iphigenia cum Jephtis filiâ, Noë cum Baccho confundatur, & Ethnicorum fabulæ ex historiæ divinæ fontibus derivatæ censeantur. Quemadmodum itaque Terrarum orbe in singulos Noachi filios distributo apud Semi posteros diluvii, rerumque præteritarum memoria sive literis consignata, sive potiùs perenni serie a patribus in nepotes derivata jugiter conservata est, donec a Moyse literis traderetur; ita apud Chami nepotes in Africâ, & Japheti posteros in Europâ earum rerum historia sive literis, sive vivâ majorum voce conservari potuit, donec ab aliquo literis exciperetur: eâ tamen lege, sive discrimine, ut illa quidem præteritarum rerum historia apud Semi posteros, qui avitam pietatem, verique Dei cultum servarunt, purior, sincerior floruerit; donec ab homine sapientissimo, divini quoque spiritûs numine afflato literis mandaretur; apud ceteros verò Japheti, vel Chami nepotes, qui in Idololatriam prolapsi veram Religionem abjecerant, illa quoque turbata, confusa, novis subinde fabulis, & erroribus vitiata langueret, qualis ab imperitis, vanis, superstitiosisque hominibus posterorum memoriæ, vel literis est consignata. Hinc tantum abest, ut ex Poëtarum fabulis ostendatur, veteres Philosophos sacras Literas legisse, ut inde potiùs oppositum inferri posse videatur; Si etenim sacras Literas, rerumque præteritarum memoriam suis illi in fontibus attigissent, numquam fortasse ab ejusmodi librorum testimonio, vel a veritate turpiter, atque longissimè aberrassent.

XII. Ne-

XII. Neque dissimili argumento demonstrari facilè poterit, quod veterum Philosophorum dogmata de Dei unitate, sapientiâ, de Mundi creatione, de animi immortalitate, ceterisque id genus sententiis a sacris Literis desumpta non sint; vel tandiu certè id invictè probatum non erit, quandiu similiter invictè non ostendatur, quod hæc omnia nec a solo rationis lumine, nec a veterum traditione, nec a Phœnicum, Arabum, Ægyptiorum, quibuscum Judæi frequentissimè versabantur, monumentis, nec ab ipsâ Judæorum consuetudine, nec aliunde in veterem Philosophiam corrivari potuerint, quàm a sacris Literis; quod, ut opinor, nec ab ullo præstitum est, nec ab ullo fortasse præstari poterit: cùm præsertim ante Moysem hæc omnia apud Assyrios, Arabes, & Ægyptios ita floruerint, ut Moyses ipse, qui quadringentis annis bellum Trojanum præcessit, primusque sacras Literas conscripsit, dicatur *eruditus omni sapientiâ Ægyptiorum* [a]; Jobus Moyse antiquior plurima de siderum, aliarumque rerùm naturâ disseruerit; Abraham denique Arithmeticam ab Assyriis didicisse feratur, quamvis illum *Astrologiæ, & Chaldaicæ Disciplinæ* inventorem dicat Eusebius [b].

XIII. Quocumque tamen ex fonte Sapientiæ studium ex Adami nepotibus in exteras gentes manaverit, illud apprime compertum est, feliciter adeo Philosophiam ad universum hominum genus brevi transiisse, ut nulla propemodum

(a) *Actuum c. 7. v. 22.* (b) *Lib. 9. c. 17. & lib. 10. c. 2. & Joseph. Antiq. 1. c. 8. & 9.*

dum regio tam rudis, effera, & inculta fuerit, in quâ plurimi Sapientiæ laude, rerum naturalium cognitione, morumque honestate celebres non extiterint. Sic apud Hyperboreos Abaris (a), apud Arabes Jobus (b), apud Scythas Anacharsis (c), apud Thraces Zamolxis (d), & Orpheus (e), apud Indos Brachmanes, sive Gymnosophistæ (f), apud Sidonios Mochus, vel Ochus ille Phœnicius bello Trojano antiquior, primus atomorum inventor (g), quem unum esse cum Moyse Huetius (h), aliique plurimi (i) suspicantur, quemadmodum ex Gallis Druidæ (k), quos a Pythagora illis posteriore (l) perperam edoctos aliqui existimant (m), Mercurius Germanis (n), Cadmus (o), & Sanchoniaton (p) Phœnicibus, Italis Etrusci (q), Lybicis Athlas (r), Hispanis Turdetani (s), Sinensibus Confusius (t), Persis denique Magi (u), eo-

(a) *Strab. lib.* 1. (b) *Vid. Du-Pin Differt. Prael. ad Sacr. Script. & Huet. Demonstr. Prop.* 4. (c) *Laërt.* 1. (d) *Jambl. in vitâ Pyth. c.* 30. *& Laert. in Proem. seg.* 1. (e) *Jambl. ibid. cap.* 34. *& Lact. Inst.* 1. *c.* 4. *& Arnob.* 5. (f) *Strab.* 15. *Laert. Proem & Diod.* 3. *& Selden. de Diis Syris*. (g) *Strab.* 16. *& Empyr. adv. Math.* 9. *vid. Burn. Arch. lib.* 1. *c.* 6. (h) *Loc. cit.* (i) *Seldenus Dikinson apud Stanl. vide Burnet. & Huet. loc. cit.* (k) *Plin.* 30. *c.* 1. *&* 16. *c. ult. Cas. lib.* 6. *& Lescaloper. in Theol. Gall. Celsus apud Orig.* 1. (l) *Ex Laert. Proemio seg.* 1. *& Dion. Orat.* 49. (m) *Ammian. lib.* 15. *& Diodor.* 5. (n) *Tacit. de German. & Avent. lib* 1. (o) *Herodot.* 5. (p) *Suid. Plin.* 7. *cap.* 56. *& Euseb. Præp.* 1. (q) *Cic.* 2. *de Divin. Plutarch. in Sylla, Suid. in Tyrrh. & Diod.* 5. (r) *Strab.* 3. *& Virg. Æneid.* 1. *v.* 745. (s) *Herod.* 4. *Strab.* 3. (t) *Vide ejus Opera edita Lutet. ann.* 1687. (u) *Laert. loc. cit. Suid. & Dion. Orat.* 49.

eorumque princeps Zabratus, vel Zoroastres, quem non a Chaldæo solùm, qui fulmine tactus interiit (a); sed etiam a Zoroastre Bactrianorum Rege, quem Ninus superavit (b), distinctum existimamus (c), celebres extitere, quos Hystaspes, & Osthanes (d), aliique plurimi ingenii gloriâ sunt sequuti.

XIV. *Assyrii* tamen, & *Chaldæi cognitione astrorum*, *solertiâque ingeniorum ceteros omnes antecelluisse* dicuntur, & *antiquissimum Doctorum genus* (e) habiti sunt, quippe qui ingresso Babylonem Alexandro 470000. annorum observationes ostenderint (f), quarum plurimas, hoc est ex Simplicio (g) annorum 1903. Callisthenes Alexandrum ipsum sequutus, ad Aristotelem misit. Principem inter illos locum obtinuit Zoroastres; cujus Poëmata de rerum naturâ (h) perierunt: quæ etenim superesse dicuntur, a severioribus Criticis (i) apocrypha existimantur. Tum Belus Rex, qui *sideralis scientiæ inventor* (k) est habitus; cui Semiramis filia bello Trojano octingentis annis antiquior (l), templum ædificavit, ex cujus fastigio sidera viderentur (m); ac denique Berosus (n) ille, cui *ob divinas prædictiones ab Atheniensibus*, ad quos Chaldæorum stu-

(a) *Suid. in Zoroast.* (b) *Just.* 1. (c) *Vid. Burn. Arch.* 1. *c.* 5. *& Stanl. de Persar. & Chaldæor. Philos.* (d) *Plin.* 30. *c.* 1. (e) *Cicer.* 1. *de Divin. & Strab.* 12. *&* 15. (f) *Vid. Plin.* 7. *cap.* 56. (g) *In* 2. *de Cælo.* (h) *Plin.* 30. *c.* 1. (i) *Huet. Demonstr. Prop.* 4. *c.* 5. *Burn. Archæol.* 1. *c.* 5. *& Du-Pin, & Stanl. Par.* 13. (k) *Plin.* 6. *c.* 26. (l) *Ex Burn. Archæol.* 1. *c.* 9. (m) *Diod. lib.* 2. (n) *Strab.* 16. *Diod.* 2. *Plin.* 6. *c.* 26.

studia in plures sectas jam derivata (a), scriptisque suis (b), quæ prorsus periere (c), illustrata transtulerat, *publicè in Gymnasio statuam inauratâ linguâ positam ferunt* (d).

XV. Assyrios æmulati sunt Ægyptii (e), cùm quidquid illustrius ab Assyriis acceperant, novis observationibus ita auxerint, & exornaverint, ut illi *Geometriæ* (f), *Astronomiæ* (g), *omniumque Philosophiæ disciplinarum parentes* (h), *in artibus reperiendis solertes*, *in cognitione rerum indagandâ sagaces* (i), & Ægyptus ipsa *mater artium* (k) meritò diceretur. Sed alios inter maximè excelluit Mercurius ille, vel Hermes, aut Trismegistus (l), quem unà cum Orpheo, Lino, Musæo, Iside, Osiride, Zoroastre, ceterisque omnibus fabulosis Diis Moysem esse putat Huetius (m); cujus non egregia solùm inventa duabus columnis, quæ Procli ætate superarant (n), & a quibus plurima accepisse dicuntur Plato, Pythagoras (o), atque Democritus (p), inscripta; sed innumera quoque volumina, quibus rerum naturam uberrimè illustraverat (q), perierunt; quæ enim Mercurii nomine

(a) *Daniel. cap.* 2. (b) *Joseph.* 1. *contra Appion.* (c) *vid. Burn. Archæol.* 1. *c.* 4. (d) *Plin.* 7. *cap.* 37. (e) *Pompon. Mela* 1. *c.* 12. (f) *Herod. in Euterpe*, *Strabo* 16. & 17. *Plato in Phædr.* & *Diod.* 1. (g) *Plato in Epinom. Arist.* 1. *Metaph.* & *Diod.* 1. (h) *Macrob. Somn. Scip. lib.* 1. *c.* 19. & *Saturn.* 7. *c.* 13. & *lib.* 1. *cap.* 14. (i) *Agell.* 11. *c.* 18. (k) *Macrob. Saturn.* 1. *c.* 15. & *in Somn.* 1. *c.* 21. (l) *vid. Euseb. in Præp.* (m) *Demonstr. Evang. Prop.* 4. (n) *Procl. in Plat.* (o) *Jambl. apud Eus. in Chron.* (p) *Jambl. de Myst.* (q) *Plin.* 7. *c.* 56. & *Manetho Interpret. libr. Merc.*

ne circumferuntur, inter apocrypha meritò numerantur. (a)

XVI. Hinc illustriora Sapientiæ lumina Plato (b), Pythagoras (c), Democritus, atque ante ipsos celeberrimi septem Græciæ Sapientes, quamvis Hermippus XVII. enumeret (d), Thales, Pittacus, Bias, Solon, Cleobulus, Chilon, & Periander, sive Myson, aut Anacharsis, non Ægyptum modò, & Assyriam; sed etiam singulas ferè Terrarum orbis partes gravi, diuturnoque itinere peragrarunt, ut viros Sapientiæ famâ clariores inviserent, eorumque præcepta in patriam derivarent. Itaque trajecto mari ex Ægypto (e), & Phœniciâ (f) Sapientiæ studium ad Græcos delatum uberius adeo, & illustrius evasit, ut *Græcia sola homines generare verè cœlestes, atque divinos, naturâ ad omnem scientiam natos* (g) putaretur: præsertim cùm *post illorum* VII. *Sapientum gloriam, incredibile sit, quanto studio veritatis inquirendæ Græcia omnis exarserit*. (h).

XVII. Atque inde certè factum esse arbitramur, ut non modò Viri ad hæc severiora Sapientiæ studia convolaverint, sed ipsæ quoque mulieres, quas a liberalium disciplinarum studio removendas plerique immeritò existimarunt, hanc uberrimam gloriæ partem ita fuerint æmula-

(a) *Casaub. Exercit. in Baron.* 1. *n.* 18. *Du-Pin Dissert. lib.* 2. *c.* 7. §. 2. *Petav. Theol. Dogm.* (b) *Cic de Fin.* 5. & *Aug de Civ.* 8. *c.* 4. (c) *Porphyr. in Vita, Apul. Flor.* 15. & *Just.* 20. (d) *Apud Laërt.* 1. *seg.* 42. *vid. Ludov. Vives Comment. in lib.* 18. *Civit. Dei.* (e) *Arist.* 2. *de Cœlo c.* 12. (f) *Philo apud Euseb. Præp.* 1. (g) *Philo apud Euseb.* 8. *c.* 5. (h) *Lactant. Inst.* 4. *c.* 1.

latæ, ut ceteras inter, quas LXVIII. ex singulis ferè Philosophorum Sectis Menagius (a) enumerat, Theano Pythagoræ uxor (b), eorum filia Mya (c), aliæque Pythagoricæ XXIII. (d); Arete (e) quæ Aristippum, Diotima (f), & Aspasia (g), quæ Socratem erudivit, præsertim verò Hipparchia Crateiis uxor (h), & Hypatia Theonis filia (i) maximâ ingenii laude floruerint. Quodsi veteres, recentioresque Philosophi, meliorisque notæ scriptores (k) in asserendo Sybillarum numero, ætate, existentiâ convenirent, illas quoque illustrioribus Græcanicæ Sapientiæ luminibus adjungere par foret: Verùm, cùm in his omnibus, nec immeritò certè, illi diffideant, nihil definiri posse putamus. Interim tamen illarum carmina, quæ vulgò circumferuntur, apocrypha esse manifestissimè demonstratur (l).

XVIII. Neque maximam solùm lucem Philosophia a Græciæ Sapientibus antequam a Græcis ipsis in Italiam transferretur *, nomen, & incrementum accepit, sed ab illis etiam Sapientiæ fons, qui principio unicus fuerat, in plures qua-

(a) *Histor. Mulier. Philos. Laert. additâ*. (b) *Laert. lib.* 8. *seg.* 42. (c) *Laert. ibid. & Suid.* (d) *Jambl. Vita Pythag. lib. ult.* (e) *Laert.* 2. *seg.* 86. (f) *Plato in Conv.* (g) *Plato in Menex. & Suid. & Clem. Alex. Strom.* 4. (h) *Laert.* 6. *seg.* 96. (i) *Eunap. in Jonic. & Socr. Hist. Ecclesiast. lib.* 7. *c.* 15. (k) *Cleric. Art. Crit. Part.* 1. *Du-Pin Dissert. lib.* 2. *c.* 7. §. 1. *Petit. de Sybill.* (l) *Orig.* 1. *contra Cels. Petit, Du-Pin loc. cit.*

* Græcia capta ferum victorem vicit, & artes
Intulit agresti Latio....
Horat. Epist. 1. *lib.* 2. *v.* 156.

quasi rivulos est derivatus, ut plures deinde partes in hac uberrimâ facultate distingui cœperint. Non omnes tamen eumdem numerum sunt amplexi (a): Quamvis enim *fuerit jam a Platone accepta philosophandi ratio triplex; una de vitâ, & moribus; altera de Naturâ, & rebus occultis; tertia de disserendo, & quid verum, & falsum in oratione, pravumve, quid consentiens, quid repugnans judicando* (b), idemque etiam Stoici probaverint (c); Cynici (d) tamen, & Ariston Chius (e), Ethicâ solâ contenti Physicam, & Logicam sustulerunt; *Epicurei* verò *duas* solùm *partes Philosophiæ putaverunt esse, Naturalem, atque Moralem, Rationalem* verò *removerunt* *. *Deinde cùm ipsis rebus cogerentur ambigua secernere, falsa sub veri specie latentia coarguere, ipsi quoque locum, quem Canonem, seu de Judicio, & Regulâ appellant, alio nomine Rationalem induxerunt, sed eam accessionem Naturalis partis existimant* (f).

XIX. Peripatetici denique, quod nostris etiam temporibus communi Philosophorum omnium consensu probatum est, quatuor Philosophiæ partes enumerant, Logicam, Physicam, Metaphysicam, & Moralem. Cujus quidem divisionis ratio duplex afferri potest: prima nimirum, quod *omnis summa Philosophiæ ad beatè vivendum*

(a) *Vid. Empyr.* 1. *adv. Logic.* (b) *Cicer. Acad.* 4. *vid.* & *Plato* 7. *de leg.* & *Macr. Somn. lib.* 2. *in fine*. (c) *Laërt.* 3. & 7. *seg.* 39. (d) *Laert. lib.* 6. *seg.* 103. (e) *Laërt. loc. cit.* (f) *Sen. Epist.* 89. *Cic.* 1. *de Nat.* & 1. *de Fin.*

* Disserendi artem nullam habuit Epicurus. *Cicer. lib.* 1. *de Fin.*

refertur, idque unum expetentes homines se ad hoc studium contulerunt (a), adeoque totidem esse debuerunt partes Philosophiæ, quot ad beatitudinem, felicitatem, sive perfectionem hominis conferre poterant; cùm itaque perfectio hominis oriatur ex perfectione intellectûs, & voluntatis, quorum intellectus cognitione rerum, vel contemplatione veritatis perficitur, voluntas autem honestate morum, & amore boni (intellectus enim ad verum, & voluntas ad bonum naturâ ipsâ dirigitur), totidem Philosophiæ partes distinguendæ fuerant, quot ad cognitionem veri, & honestatis amorem requiruntur. Hinc ad honestatis amorem inventa est illa facultas, quæ de vitâ, & moribus, de virtute, & vitio, de libertate, de legibus dissereret, & Moralis, aut Ethica vocatur; ad cognitionem autem rerum inventa est Physica, si corporeæ, & corruptibiles illæ forent; Metaphysica verò, si spirituales, & incorruptibiles essent; cùmque deinde solius naturæ viribus neque perfecta rerum cognitio, neque morum honestas acquiri posse videretur, inventa demum est illa facultas, quæ intellectum nostrum dirigeret, unde Logicæ, vel Rationalis nomen obtinuit.

XX. Altera verò divisionis ratio clariùs, & accuratiùs ex ipsâ rerum varietate deducitur. Cùm etenim, ut antea diximus, Sapientia, sive Philosophia sit rerum divinarum, humanarumque cognitio, tot esse debuerunt Philosophiæ, sive Sapientiæ partes, quot sunt cogni-
tio-

(a) *Cic. de Fin. 2.*

tiones ipsæ, vel genera illarum rerum, quæ cognosci possunt a nobis; intelligi verò, vel observari facilè poterit, quod illa, quæ cognoscuntur a nobis vel a Deo, vel a nobis ipsis producta, sive efformata sunt; ac si a Deo quidem res illæ productæ fuerint, aut corruptibiles, atque corporeæ, aut incorrruptibiles, & incorporeæ esse debent; quod si a nobis ipsis efformatæ fuerint, vel ab intellectu, vel a voluntate orientur, hoc est ad alterutram hominis facultatem spectare debent. Corruptibiles itaque res, quæ a Deo productæ fuerunt, in Physicâ considerari solent, incorruptibiles autem in Metaphysicâ; quemadmodum etiam res illæ, quæ fiunt, vel efformantur ab hominis intellectu, in Logicâ; quæ verò fiunt a voluntate, & ad mores pertinent in illâ Philosophiæ parte pertractari debent, quæ Moralis, aut Ethica vocari solet.

XXI. Ac ceteris quidem Philosophiæ partibus antiquior est Physica, quæ sensibilium rerum naturas, præsertim verò cœlestia corpora contemplatur, ut *ex ipsâ siderum contemplatione pulcherrimus, & uberrimus fons ille Philosophia profluxisse* (a) dicatur, quòd hæc omnia sensibus ipsis subjecta majorem admirationem in nobis excitent, animumque ad inquirendas illorum caussas fortiùs alliciant: *Valde nimirum Philosophi est affectio illa admirari, neque alia fuit origo Philosophiæ, quàm ista* (b). Sed, ut illustrior adhuc, atque jucundior hæc Sapientiæ pars rudioribus etiam

(a) *Apul. de Dogm. Plat. & Philo de Opif.* (b) *Plato in Theæth. confer & Arist. 1. Metaph. c. 2.*

etiam animis videretur, veteres Poëtæ Linus (a), Musæus (b), Orpheus (c) illius auditor (quos verè extitisse, contra Aristotelem (d), ac Vossium (e), cum Burneto (f), aliisque (g) defendimus, quamvis illorum fragmenta apocrypha concedamus (h),) Homerus, Hesiodus, Solon (i), Empedocles (k), Parmenides (k), Xenophanes (k), Zoroastres (l), Thales (m), Thamyras (n) ita res physicas elegantissimis versibus illustrarunt, ut *Physica non inelegans in illorum fabulis inclusa sit* (o); & ipsa ferè *rerum natura a prudentibus arcana sua per fabulosa tractari voluerit* (p).

XXII. Socrates verò, cùm Physicam juvenis coluisset (q), senior effectus *primus a rebus occultis, & ab ipsâ naturâ involutis, in quibus omnes ante eum Philosophi occupati fuerunt, avocavit Philosophiam, & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus, & vitiis, de bonis rebus, & malis quæreret; cùm cœlestia, vel procul esse a nostrâ cognitione censeret, vel si maximè cognita essent, nihil ad beatè vivendum confer-*

(a) *Diodor. Præf. ad Mythol. & Euseb. Præp.* 10. *c.* 4. *& Strab* 16. (b) *Laert. in Proem.* (c) *Jambl. de vitâ Pythag. cap.* 34. (d) *apud Cicer. de Nat.* 1. (e) *De Arte Poet. cap.* 13. (f) *Archæol. lib.* 1. *cap.* 9. (g) *Huet. Demonstr. Prop.* 4. *c.* 8. *&c.* (h) *Cum Orig.* 1. *contra Cels. Huet. loc. cit. c.* 6, *num.* 19. *& Voss. de Orig. Idolol. lib.* 1. *c.* 39. (i) *Plutarc. in Solone.* (k) *Laert.* 9. *seg.* 22. (l) Plin. *lib.* 30. *c.* 1. (m) *Suidas in Thal.* (n) *Ex Platone, & Plutarcho de Pyth. orac. & de* EI. (o) *Cicer.* 2. *de Nat.* (p) *Macrob. Somn.* 1. *c.* 11. *Plut. de aud. Poet. & Dionys. Halic. lib.* 11. (q) *Ex Platone in Phædr. & Laert.* 2. *seg.* 21.

ferre (a) *. Primus itaque Moralis inventor, ac veluti *parens Philosophiæ* (b) semper est habitus; ejusque dogmata *duo Socraticæ amœnitatis lumina Plato*, *& Xenophon* (c) immortalibus scriptis illustrarunt.

XXIII. Sed cùm neque rerum natura, neque morum honestas satis aptè explicari, vel certò demonstrari posse videretur, nisi falsum a vero sejungere; vitia, quæ plurima irreperent, vitare nobis licuisset, Logicam addidisse dicitur Plato (d), quæ rationem dirigeret, ac in inquirendâ veritate moderaretur. Sed quamvis id gloriæ Platoni plerique concedant; & Zeno Eleates (e), qui certè omnium primus præcepta Logicæ scriptis edidit; & Aristoteles ipse, qui singulas Logicæ partes uberrimè illustravit, & in unum veluti corpus disposuit, Logicæ inventor a compluribus habeatur (f), compertum est tamen disserendi studium apud antiquissimos etiam Philosophos Arabes, Assyrios, & Judæos potissimùm floruisse.

XXIV. Addita postremò fuit ab Andronico, ceterisque Interpretibus Aristotelis Metaphysica, quæ res abstractas, & incorporeas scrutari dicitur. Cùm (g) etenim Aristotelis opera Theo-

(a) *Cic. Acad.* 1. *conferend. in Tusc.* 5. *& in Bruto*, *& Aug. Civ.* 8. *cap.* 3. (b) *Cic. Fin.* 2. (c) *Agell.* 14. *cap.* 13. (d) *Laert.* 3. *seg.* 56. (e) *Laert.* 9. *seg.* 25. *vid. Empyr. adv. Math.*7. (f) *Averr. in Proem. Physic.* (g) *Strabo lib.* 13. *& fusè Gassend. in Exercit. Paradox.* 1. *exercit.* 4.

* Etenim cognitio, contemplatioque Naturæ manca quodammodo, atque inchoata esset, si nulla actio rerum consequatur. *Cic. de Offic.* 2.

phrasto primùm relicta ad Neleum Scepsium Theophrasti auditorem hereditario jure pervenissent, ab illius heredibus, ne Pergamum transferrentur, ubi Attalici Reges ex libris undique comparatis Bibliothecam instruxerant, in terrâ sepulta sunt, ubi cùm CXXX. annorum spatio incognita jacuissent, tandem eruta Apelliconi Tejo vendita sunt; eoque defuncto, postquam Sylla Athenas anno 4. Olympiadis CLXXIII. occupavit, Romam delata, atque Tyrannioni cuidam Grammatico, ab isto verò, ut Plutarchus in vitâ Syllæ commemorat, Andronico tradita sunt; hi verò non modò lacunas, quæ plurimæ ex loci humiditate, ac temporis injuriâ irrepserant, impleverunt, atque arbitrio suo textus, atque lacinias adjecerunt (unde maxima, & incredibilis illa obscuritas, sententiarumque perplexitas oriri debuit, quæ in Aristotelis operibus observatur); sed varios quoque libros in certas classes ita dispofuerunt, ut quædam opera Dialectica, quædam Physica inscriberentur; cetera verò, quæ confusa, promiscua supererant, & ad nullam classem referri posse videbantur, Opera *μετὰ τὰ φυσικά*, *Metaphysica*, hoc est *post Physica*, vel Physicis adjecta, subjuncta vocarunt; neque enim in ipsis de spiritualibus, abstractis, metaphysicis rebus juxta superiùs traditam Philosophiæ divisionem a Peripateticis ipsis acceptam differitur, ut est egregiè a Launojo, Gassendo, aliisque pluribus observatum.

XXV. Quamvis tamen hæc celeberrima Philosophiæ divisio Scholarum omnium limen occupaverit, atque communiter quatuor illæ Phi-

lo-

losophiæ partes Logica, Physica, Metaphysica, Moralis ab omnibus explicari consueverint, *plena tamen Phylosophia est, quæ constat ex duabus Physicâ, & Ethicâ* (a), quibus utraque hominis facultas Intellectus, & Voluntas cognitione rerum, & honestate morum perficitur. Logica nimirum non potiùs Philosophiæ pars a ceteris distincta debet haberi, quàm Scientiarum omnium pars, & instrumentum *, cùm ad Scientias omnes ritè, ac feliciter comparandas instituta fuerit; Metaphysica verò partim ad Logicam, partim ad Physicam, unde fortuitò ab Interpretibus Aristotelis sejuncta fuerat, commodè revocatur. Hanc certè nos veniam petimus, atque ab ingenuis Philosophis facilè nobis concedi posse speramus, ne celebrem hanc Philosophiæ divisionem temerè negligere, vel perturbare videamur, si Metaphysicam paullo pressiori, diversâque methodo, ac alii consueverint, ita pertractemus, ut plurima, quæ ab illis in Metaphysicâ disseruntur, nos aut in Physicâ, aut in Logicâ, prout loci, rerumque opportunitas tulerit, exponamus: quod fusiùs, & accuratiùs alibi quoque monebimus, ubi in singulas Philosophiæ partes præfari contigerit.

XXVI. Nunc autem adeunda nobis est altera Philosophiæ divisio, quam partim naturæ obscuritas, partim veritatis studium, partim dissentiendi cupiditas, partim denique novitatis amor

(a) *Cic. Rhetor.* 1.

* Logica non pars est Philosophiæ, sed velut accuratissimum instrumentum, *Laert.* 5. *seg.* 28. Logicam non partem ajunt (*Peripatetici*) sed potiùs instrumentum. *Pachym. in Epito. Organi c.* 2.

amor invexit: illa nimirum, quâ ſingulæ Philoſophiæ partes, ob innumeras diſſidentium inter ſe Philoſophorum opiniones, vel docendi methodum, in plures Sectas diviſæ, ac veluti diſcerptæ ſunt: quod elegantiſſimè expreſſit Boëtius (a), dum Philoſophiam ipſam in Ticinenſi carcere ſquallido vultu, diſciſsâ veſte, paſſis capillis, demiſſis oculis, ſuffuſiſque genis ſibi apparuiſſe finxit; idque ab æternis Philoſophorum diſſidiis illa ſe paſſam eſſe mœſtiſſimè querebatur. Atque hinc intelligitur, cur Hæreſis, ut Græci dicunt, vel Sectæ nomen *a ſecando* derivetur, quòd ipſa nimirum Philoſophia diviſa fuerit; vel homines aliqui in Philoſophiæ ſtudio a ceteris diviſi, ſecti, ſejunctique fuerint: quamvis illud etiam *a ſectando* deduci poſſe videatur, quòd tunc aliqua Secta conſtitui dicatur, cùm plurimi unius Philoſophi doctrinam ſectentur, illique arctiſſimè adhæreant. Intelligi quoque, vel explicari facilè poterit, cur ingens adeo, & incredibilis Sectarum numerus apud veteres, recentioreſque Philoſophos ſemper extiterit; novitatis enim amor, diſſentiendi cupiditas, partium ſtudium, rerumque obſcuritas omnes impulit, ut, vel opinionem aliquam ab aliis diſſidentem comminiſcerentur, vel animum alicui, quam unicè adamarint, deſponderent. Ceteras tamen inter innumeras Sectas, quæ a Græciæ Philoſophis inſtitutæ, vel amplificatæ ſunt, ut in illarum ſerie, vel ſucceſſionum ordine inferiùs oſtendemus, illuſtriores haberi meritò ſolent Italica, Jonica, & Eleatica, quæ Py-

(a) *De Conſol. Philoſ. Proſâ* 1.

Pythagoram, Thaletem, Xenophanem principes, vel auctores habuere.

XXVII. Pythagoras itaque, cùm Phæreciden Syrum (a), Thaletem (b), & Anaximandrum (c), *fatiloquum Epimenidem* (c), & in Ægypto Psammitici ætate per annos XXII. Chaldæos (d), Zoroastrem, vel Zabratum (e), Arabes (d), Phœnices (d), Orphicos (d), ex quibus plura desumpsit (f), Persarum Magos, Indorum Brachmanes (d) audivisset, Crotonam veniens Italicam Sectam instituit. Celebres in illâ fuere Charondas Rheginorum, Zaleucus Locrensium, Zamolxis Getarum Legislatores (g); Architas, ejusque auditor Philolaus, Hyppasus Heracliti præceptor, Ocelus, Aristarchus, Ecphantus, & Empedocles, quem aurea carmina Pythagoræ falsò inscripta edidisse putat Fabricius (h); cùm potiùs diversis illa temporibus a Pythagoricis contexta verisimiliùs existimentur (i): quemadmodum certè libri in Numæ sepulchro post DCCCV. annos ab illius obitu reperti (k) falsò Pythagoræ tribuuntur, cùm ille Pythagoram longè præcesserit; ut mirè proinde fallantur ii (l), qui Numam Pythagoræ auditorem fuisse opinantur.

XXVIII. Quam-

(a) *Porphyr. in vitâ, & Suidas.* (b) *Ex Jambl. in vitâ* 1. *cap.* 2. (c) *Apul. Florid.* 2. (d) *Ex Just.* 20. *& Porph. in vitâ.* (e) *Porphyr. loc. cit. Apul. & Selden. de Diis Syris Syntag.* 2. (f) *Herod.* 2. *Proclus in Platon. Syrian. in Metaph. Arist.* 1. *& Jamblyc. vita Pythag. cap.* 28. (g) *Laert.* 9. *seg.* 16. (h) *Biblioth. Græca* 2. *pag.* 461. (i) *Agell.* 6. *cap.* 2. *& Hieron.* 2. *advers. Rufin. vide, & Stanl.* (k) *Plin.* 13. *sect.* 27. *& Liv.* 11. (l) *Clem. Alex. Ovid. Plutarch.*

XXVIII. Quamvis autem Italica Secta ad Aristotelis ætatem pervenerit, & Aristoxenus hujus auditor, se Xenophilum, Echecratem, Dioclem, Polymnestum, Phantonem Euriti, & Philolai auditores, Pythagoræorum ultimos vidisse commemoret (a); Xenophanes tamen, qui Pythagoram, & Thelaugem Pythagoræ filium audivit, novam Sectam ab Eleâ Parmenidis, & Zenonis, qui illi post Xenophanem præfuere, patriâ Eleaticam dictam instituit. Parmenidem itaque sequutus est Zeno, & Melissus; Zenonem Leucippus, Leucippum Democritus, quem Metrodorus, & Protagoras excepit, a quo Diogenes eruditus Anaxarchum successorem habuit, cujus auditor Pyrrho propriam & ipse Sectam instituens ab Eleaticâ defecit. Pyrrhonis verò dogmata sequuti sunt Hecaton, Philo, Eurilochus, Timon, atque Nausiphanes, ejusque discipulus Epicurus; quo novam Scholam instituente paullisper Pyrrhonica Secta defecit, donec a Ptolemæo Cyrenaico renovata per Euphranorem, Eubulidem, Ptolemæum, Heraclidem, Ænesidemum, Zeusippum, Xeusim, Antiochum, Menodocum, Herodotum sibi ordine succedentes ad Sextum Empiricum, ejusque discipulum Saturninum Cythenatem pervenit.

XXIX. Epicurus itaque *Philosophus nobilis, a quo non solùm Græcia, & Italia, sed etiam omnis Barbaria commota est* (b), relictâ Pyrrhonicorum sententiâ, antiquissimam Atomistarum hypothesim est amplexus. Id verò tantâ ingenii laude perfecit, tantique semper est habitus, ut

(a) *Laërt.* 9. *seg.* 86. (b) *Cic.* 2. *de Fin.*

ut non æreas solùm statuas ei dedicare (a); natalem ejus diem celebrare (b), verùm etiam ipsius imaginem *non modò in tabulis*, *sed etiam in poculis*, *& annellis* gestare consueverint (c). Hinc illa mira consensio (d), quâ per XIV. Magistros continuâ serie sibi succedentes ad Augusti tempora per CCXXXVII. annos pervenit (e), atque nuper a cl. viro Petro Gassendo, qui de Epicuri moribus, & doctrinâ egregiè disseruit, renovata, illustrata, castigata, atque mirificè amplificata principem ferè locum apud Recentiores Philosophos occupavit.

XXX. At Jonicæ Sectæ nomen, & originem dedit Thales Milesius, qui deprehensâ Zodiaci obliquitate, Tropicis, & Zonarum numero, diametro solis, ejusque annuâ periodo 365. dierum (f), cynosurâ, sive polari sidere (g), Pyramidum Ægypti altitudine (h), prædictâ solis eclipsi (i), & scriptis editis (k) immortalem sibi gloriam comparavit, ut *Physicorum princeps* (l), *Philosophorum antiquissimus* (m), *Philosophiæ inventor* (n), *& Sapiens* (o) vocari meruerit. Anaximander illi successit Gnomonis usu, ho-

(a) *Laërt.* 10. *seg.* (b) *Plin.* 35. *c.* 2. (c) *Cic.* 5. *de Fin.* (d) *Vid. Eus.* 14 *c.* 2. (e) *Vid. Themist. Orat.* 4. *& Senec. epist.* 33. *Suidas in Epic. Euseb. Præp.* 14. *c.* 5. *& Gassendus in vitâ Epicur.* (f) *Laërt.* 1. *seg.* 27. (g) *Callimachus apud Laert. seg.* 23. *Tatium in Arabi Phænom. & Hygin. Poetica Astron.* (h) *Laert.* 1. (i) *Laert.* 1. *seg.* 23. *Plin.* 2. *sect.* 9. *Herod.* 1. *Plutarch. Plac.* 2. 24. *&* 28. (k) *Laert.* 1. *seg.* 34. *Simpl. in* 1. *Phys. & Aug. de Civ.* 8. *c.* 2. (l) *Tertull. Apol. c.* 26. (m) *Justin. in Paran.* (n) *Plutarch. Plac.* 1. *cap.* 3. (o) *Laert.* 1. *seg.* 32.

horoſcopiis, terræ, mariſque circuitu, ſive Geographicis Tabulis inventis celeberrimus (a), quem Anaximenes ſequutus ſcholam Anaxagoræ, quam ex Joniâ Athenas transferret, reliquit; ejuſque diſcipulus Archelaus Socratem erudivit, in quo Jonica Secta defecit.

XXXI. Hic etenim moribus excolendis unicè addictus, etſi nihil omnino ſcripſerit (b), ejusque epiſtolæ ab Allatio vulgatæ apocryphæ videantur (c); plurimos tamen, & celeberrimos auditores habuit, qui novarum Sectarum principes extitere, ſi Xenophontem excipias, qui præclaram conſcribendis hiſtoriis operam dedit. Sic Ariſtippus Cyrenaicam inſtituit, quæ per Aretem ejus filiam in Ariſtippo, Theodoro atheo, & Bione; per Antipatrum verò in Epitimide, Parebate, Hegeſia, & Anniceri conſervata eſt. Phædo Elienſis Eliacam Pliſtano, ac deinde Menedemo claram invexit. Euclides Megarenſis Megaricæ nomen dedit, quæ poſt Alexinum Eriſtica, poſt Dionyſium Chartaginenſem Dialectica vocari cœpit (d). Antiſthenes verò Cynicam, in quâ Diogenes, ejuſque auditor Crates floruere: nam Zeno Citticus Cratetis auditor Stoicam inſtituit, quam *Stoicorum Pater* (e) Cleantes, Chryſippus, Zeno Sidonius, Diogenes Babylonius, Antipater, Panætius, Poſſidonius ſibi ordine ſuccedentes, aliique innumeri ſapientiſſimi Viri illuſtrarunt.

XXXII. Ce-

(a) *Laërt.* 2. *ſeg.* 2. *Strabo* 1. (b) *Cic.* 3. *de Orat. & Dion. Chryſ.* (c) *Olearius Diſſert. apud Stanl. Part.* 3. (d) *Laert.* 2. *ſeg.* 106. *Voſſius de Sect. Philoſ. cap.* 2. §. 3. (e) *Cic.* 3. *de Nat.*

XXXII. Ceteros tamen Socratis auditores, & regiâ generis nobilitate, & ingenii gloriâ superavit Plato Atheniensis, qui cùm Socratem ipsum octo annis, Cratylum (a), Hermogenem (a), Archytam (b), Euclidem, Pythagoricos (c), Ægyptios (d), Persas audivisset, Academiam instituit, in quâ Speusippus, Xenocrates, Polemon, Crantor, & Crates ordine præfuere; Arcesilas enim Crantoris auditor, sive ut Platonis dogmata a Stoicis vulgata celaret (e), sive ut *dedoceret potiùs malè doctos, quàm doceret quos dociles non arbitrabatur* (f), nihil sciri posse dixit, ac mediam Academiam invexit, quæ per Lacydem, Teleclem, Evandrum, Hegesimum in Carneadem derivata, in Novam ab illo inventam (g), & Clitomacho auditori traditam degeneravit: veteris tamen Academiæ splendorem restituere conati sunt Philo, & Charmides Clitomachi, atque Antiochus illorum auditor: unde sunt, *qui addant quartam Academiam Philonis, & Charmidæ, sunt qui etiam quintam Antiochi adjiciant* (h).

XXXIII. Atque ex veteri quidem Platonis Academiâ divinus ille Philosophus prodiit Aristoteles, qui cùm audito jam per XX. annos Platone, Alexandrum Macedonem quinquennio docuisset, Peripateticam Scholam Athenis aperuit, eamque moriens Theophrasto reliquit; quem Strato, Lycon, Aristo, Critolaus, Diodorus ordine;

(a) *Ex Laërt.* 3. (b) *Ex Cicer. in Catone, & Apul. de Dogm. Platonis.* (c) *Cicer.* 5. *de Fin. & Agell.* (d) *Agell.* 3. *c.* 17. *& Aug. de Civ. c.* 4. (e) *Aug. lib.* 3. *advers. Acad.* (f) *Aug.* 1. *contra Acad. c.* 17. *vide Empyr. contra Pyrrhon.* (g) *Cicer. Acad.* 4. (h) *Eus. Præp.* 14. *c.* 2. *& Empyr.* 3. *Hypoth.* 33.

ne; deinde verò Andronicus, aliique plurimi variis temporibus sunt sequuti. Brevi tamen, cùm plurimùm in Italiâ Ciceronis ætate floruisset (a), languere cœpit: sive quòd Aristotelis opera innumeris mendis vitiata jam forent (b); sive quòd veteres Ecclesiæ Patres Platonica dogmata, ut Evangelio affiniora (c), complexi, Aristotelis doctrinam acerrimè sint insecuti (d); ut tandem Italia domesticis bellis discerpta ab exteris, barbarisque Gentibus ad Peripateticæ disciplinæ studium excitari debuerit.

XXXIV. Arabes etenim Hispaniam (e) ferro, flammâque invadentes, Aristotelis etiam doctrinam in Scholas invexere, quæ variis subinde commentariis ab Averroë, Avicenna, aliisque compluribus illustrata finitimam Galliam, Italiam, & universam denique Europam feliciter occupavit: tantoque studio, animorumque contentione excepta, & aucta est, ut tres veluti in Sectas brevi divisa fuerit, Scotistarum, Thomistarum, & Nominalium; quorum illi Joannem Duns Scotum, isti Rucelinum, vel, qui extinctam ferè Rucelini sententiam excitavit, Gabrielem Ochamum Scoti discipulum amplectuntur: Thomistæ verò principe, & auctore gloriantur D. Thoma Aquinate; qui, cùm incredibili, ac divinâ ferè ingenii laude mirificè semper floruerit, Angelici Doctoris nomen vel ipso XIII. Ecclesiæ seculo obtinuit.

XXXV. Quam-

(a) *Cic. Acad.* 4. (b) *Vid. Launojus de variâ Arist. Fortunâ.* (c) *Aug. contra Acad.* 3. *c.* 3. *&* *Civit.* 8. (d) *Vide Laun. loc. cit.* (e) *Roderic. Tolet. lib.* 3. *c.* 12. *Petav. Ration. Part.* 1. *lib.* 8. *c.* 4. *&* *Pag. ad annum* 833 *num.* 14.

XXXV. Quamvis autem innumeræ Sectæ inter se plurimùm diffidentes ex Aristotelis scholâ prodierint; cùm tamen omnes Aristotelem ipsum, veluti ducem, sequantur, ejusque doctrinam varias in partes trahant, sola Peripatetica disciplina ad hæc usque tempora principem locum occupaverat: cùm duo sapientiæ lumina Baco de Verulamio, & Galileus Galilei novo quodam Philosophiæ genere delectari, rerumque naturam ad severiores Staticæ, & Mechanicæ leges revocare cœperunt; tumque aucto novis sideribus cœlo, novis regionibus terrarum orbe, novis etiam artibus, & scientiis disciplinarum numero, naturalium rerum cognitio auctior adeo, & illustrior evasit, ut omnem ferè veterum gloriam superasse meritò videretur. Quid verò commemorem Cl. quoque Viros Petrum Gassendum, atque Renatum Cartesium novas iniisse vias, ac Mechanicam Philosophiam mirificè coluisse: illum quidem renovatâ Democriti, & Epicuri sententiâ, quæ temporis injuriâ obsoleverat; hunc autem ingeniosâ quadam hypothesi excogitatâ, quâ rerum phænomena explicarentur, cùm hæc omnium animis, atque ore versentur?

XXXVI. Illud hìc potiùs coronidis loco addendum videtur, Sectarum, quas hactenus enumeravimus, nomina variis ex fontibus esse deducta; plerumque tamen ex nomine, vel patriâ auctoris; ex loco, vel docendi genere, quo usus est; aut ex ipsâ rerum, quæ diligentiùs exponi, vel pertractari solebant, varietate. Sic itaque Secta, quam a Pythagora institutam diximus, Italica vocatur, quòd ille in variis

Italiæ Urbibus, præsertim verò Crotone, ac Metaponti docuerit. Jonica dicitur Thaletis Secta, quod Thales fuerit ex Mileto Joniæ urbe, ac in Joniâ plurimùm illa floruerit, antequam Athenas ab Anaxagora, vel Archelao transferretur. Eleatica verò non a Xenophanis (hic enim Colophonius fuit), sed a Parmenidis, Melissi, Zenonis patriâ, qui Xenophanis auditores, & in scholâ successores fuerunt, nomen obtinuit: omnes etenim Eleates, hoc est ex Eleâ, aut Veliâ Italiæ urbe prodierunt. Academica Secta ab Academiâ, vel Ecademiâ, nimirum ab horto quodam arboribus consito, quem Ecademus heros habendis ibi Philosophiæ disputationibus destinaverat, & in quo Socrates, & Plato docere consueverant, est appellata. Cùmque similiter Zeno in porticu quadam apud Athenienses celebri, Polygnoti picturis ornatâ, doceret, Stoicam Sectam invenisse dicitur: quemadmodum ab Aristotele, quòd deambulando discipulos erudiret, Peripatetica, sive *deambulatoria* Secta manavit: & Antisthenes ipse non aliâ de caussâ Cynicæ Sectæ nomen reliquit, nisi quòd in Cynosarge Gymnasio, hoc est in *candidi canis* templo, doceret; quod Herculi ex oraculi responso constraxerat Dydimus quidam commotus, quòd candidus canis victimam aris impositam rapuisset (a), etsi Laërtius (b) Cynicos a scommatîs, cavillis, hoc est a caninâ irridendi, mordendique licentiâ dictos existimet; Pyrrhonica denique, Epicurea, Gassendistica, Cartesiana ab auctorum nomine; Eliaca verò, Megarica, Cyre-

(a) *Suid. in Cynos.* (b) *In Proëm. seg.* 17.

renaica ab illorum patriâ nomen sortitæ sunt. Atomistica tamen vocari etiam solet Epicuri, vel Gassendi Secta, quòd in illâ præsertim de corpusculis, atomisque disseratur: quemadmodum etiam Cyrenaica Secta Aristippi interdum Hædonica, sive *voluptuosa* vocatur, quòd in illâ voluptas summum bonum esse dicatur; interdum etiam Eudæmonica, quod illa præsertim, atque uberiùs, quam ceteræ consueverint, *de felicitate* disserat.

XXXVII. Atque his accenseri facilè poterit aliud Sectarum genus, sive potiùs Philosophiæ divisio, quæ ex vario Philosophorum ingenio, docendique methodo derivatur, atque apud veteres, recentioresque Philosophos nostris etiam temporibus usurpatur. Quemadmodum enim ingens olim, æternumque Philosophorum dissidium plurimos impulit, ut cum Pyrrhone nihil certò deprehendi posse putarent, sed de omnibus dubitarent, unde Sceptici, seu *dispicientes*; Zetetici, sive *quæsitores*; Ephectici, vel *cohibentes* assensum; Acataleptici denique, vel *incomprehensibiles* dicebantur: cùm alii, qui propria dogmata constantissimè tuebantur, Dogmatici vocarentur; ita quoque hac ætate, quamvis aliqui uni Sectæ nomen dederint, atque ex Philosophis aliquem adamaverint, quem unicè sequerentur, seque illo duce veritatem assequutos esse glorientur; plurimi tamen de inveniendâ veritate ferè desperantes, scientiam omnem sustulerunt, eamque mortalium oculis prorsus ereptam, aut certè gravi caligine circumseptam esse putarunt.

XXXVIII. Utrumque tamen docendi genus, quod Pyrrhonici, sive Dogmatici profitentur,

ab ingenuo, honeſtoque veritatis amore abhorrere ſapientiſſimi Viri arbitrantur *. *Quid enim*, ut contra Dogmaticos egregiè inquit Cicero (a), *tam temerarium, tamque indignum Sapientis gravitate, atque conſtantiâ, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit, & cognitum, ſinè ullâ dubitatione defendere*, & innumera, quæ adhuc nos latent, quæque nos tenui vix conjecturâ, vel divinando conſequimur, veluti cognita, ac certa tueri? *Profectò & eos ipſos, qui ſe aliquid certi habere glorian-tur, addubitare coget doctiſſimorum hominum de maximis rebus tanta diſſenſio* (b); ut meritò proinde *veteres* Philoſophos *accuſans Ariſtoteles, qui exiſtimaviſſent, Philoſophiam ſuis ingeniis eſſe perfectam*, dixerit, *eos aut ſtultiſſimos, aut glorioſiſſimos fuiſſe: videre ſe enim, quod paucis annis magna illi acceſſio facta eſt* (c).

XXXIX. Id optimè profectò noverant egregii ſapientiæ duces, Socrates, Plato, Ariſtoteles, a quibus, veluti ex uberrimis fontibus, illuſtriores omnes Philoſophorum Sectæ manarunt: cùm Socrates quidem (d) *qui Apollinis oraculo ſapientiſſimus eſt judicatus* (e): *ſcire ſe nihil* profiteretur *præter hoc ipſum, quod nihil ſciret* (f), & ex pluribus philoſophandi generibus illo uteretur, *quo ſuam ipſe ſententiam tegeret, errore alios levaret, & in omni quæſtione, quid eſſet*

(a) *De Nat.* 1. (b) *Cic. ibidem.* (c) *Cic. Tuſc.* 3. (d) *Cicer. in Lælio.* (e) *Cicer. Tuſc.* 5. (f) *Laërt.* 2. *ſeg.* 32.

* Dicebat Zeno *Stoicus* ad percipiendas Scientias nihil inconvenientius eſſe jam acquiſitæ eruditionis opinione. *Laërt.* 7. *ſeg.* 23.

esset verisimillimum quæreret (a): Plato verò *proprium fore Academiæ voluerit judicium suum nullum interponere: ea probare, quæ simillima veri videantur, conferre caussas, & quid in quamque sententiam dici possit, expromere, nullâ adhibitâ suâ auctoritate, judicium audientium relinquere integrum, ac liberum* (b); cùm *inter nullos magis, quàm inter Philosophos esse debeat æqua libertas* (c): Aristoteles denique *præstare, atque adeo oportere* dixerit *veritatis tuendæ caussâ vel nostra decreta evertere, cùm etiam nos Philosophi simus* (d); *Philosophi autem sit solius Sapientiæ amore capi, sapientesque viros in primis suspicere* (e).

XL. Hinc plurimi ex veteribus, recentioribusque Philosophis Socratem, Platonem, & Aristotelem æmulati illam docendi methodum amplectuntur, in quâ non certæ quædam theses constantissimè defenderentur; sed, ubi rerum obscuritas, & ambiguitas sensibus nostris obversaretur, & ingenii nostri vim obruere videretur, hypotheses potiùs effingerentur (*licet enim aliquid fingere docendi caussâ* (f)) quibus proposita veritas inquiratur; *Philosophandum est itaque de rerum naturâ non pronunciata efferendo, & quasi ex legis præscripto agendo; sed, ut exigunt res apparentes, ratiocinando: qui enim singularem explicandi modum perditè deperiunt, & unum quid singulare solùm arripiunt, tum apparentibus subinde repugnant, tum ab eo, quod homini contemplari fas est, aberrant* (g).

(a) *Cic. Tusc.* 5. (b) *Cicer. de Divin.* 2. (c) *Senec. quæst. Natur.* 4. *cap.* 3. (d) 1. *Ethic. cap.* 4. *al.* 6. (e) *Plut. de Fort. Alex.* 1. (f) *Cic. Tusc.* 5. (g) *Epic. in epist. ad Pyth. apud Laërt.* 10.

XLI. Nec oportere tamen *in Academiæ Recentioris*, sive Pyrrhonicorum *sententiam delabi putes, quia non omnia sunt incomprehensibilia. Ut enim fatendum est, multa nesciri, quæ voluit Deus intelligentiam hominis excedere, sic tamen multa sunt, quæ possunt, & sensibus perspici, & ratione comprehendi* (a). *Neque enim quisquam sinitur nescire se vivere, quandoquidem si non vivit, non potest aliquid vel nescire; quoniam non solùm scire, verùm etiam nescire viventis est. Sicut ergo nos vivere non solùm verum, sed etiam certum est, ita vera, & certa sunt multa, quibus non assentiri absit, ut Sapientia potiùs, quàm dementia nominanda sit* (b). Verùm hæc alibi fusiùs, & opportuniùs exponi debent, cum de Veritate, & Scientiâ, ejusque Criterio differetur. Innuenda tamen hîc fuerunt, non solùm, ut de celebri Pyrrhonicorum, Dogmaticorumque, & Academicorum methodo judicium aliquod ferri posset; verùm etiam, ut in ipso Philosophiæ limine contra Pyrrhonicos ipsos ostenderemus existere Philosophiam, hoc est ab intellectu nostro certam, ac evidentem rerum divinarum, humanarumque cognitionem acquiri posse: quod cùm innumeris argumentis, atque rationibus ostendatur, ut in 4. Parte Logicæ cap. 6. nos ipsi quoque ostendemus, tum ex iis etiam, quæ paullo superiùs circa Philosophiæ originem exposita sunt, manifestissimè demonstratur.

XLII. Quemadmodum enim fieri non potest, ut apertis oculis lucem, & objecta corpora non vi-

(a) *Lactant. de Opif. hom. cap.* 5. (b) *Aug. in Ench. c.* 20. *sive num.* 7.

videamus, ita cœleſtis illa, ac divina propemodum vis, & facultas, quâ naturâ ipsâ ad Veritatem contemplandam impellimur, Veritatem ipſam, & ſcientiam nobis vel invitis oſtendit; ut nullus proinde fuerit, cui ſæpius ille Veritatis ſplendor non affulſerit, qui aliquando Veritatem non fuerit aſſecutus. Hinc, ut ſapientiſſimi viri arbitrantur; ſicuti *nihil tam abſurdè dici poteſt, quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum* (a); ita *nulla eſt tam falſa doctrina, quæ non aliqua vera intermiſceat* (b): *docemurque, nullam Sectam fuiſſe tam deviam, neque Philoſophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero* *. *Quod ſi extitiſſet aliquis, qui Veritatem ſparſam per ſingulos, per Sectaſque diffuſam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profectò non diſſentiret a nobis; ſed hoc facere nemo, niſi veri peritus, ac ſciens poteſt* (c): *Nam ſi ſingulas diſciplinas percipere magnum eſt, quantò majus omnes? quod facere iis neceſſe eſt, quibus propoſitum eſt veri reperiendi cauſsâ & contra omnes Philoſophos, & pro omnibus dicere* (d): *etenim nobiſmetipſis verentibus, ne temere vel falſa rei, vel non ſatis cognita aſſentiamur, faciendum videtur, ut diligenter*

 etiam,

(a) *Cic. 2 de Divin.* (b) *Aug. quæſt. Evang. 2. c. 40.* (c) *Lactant. Inſtit. 7. c. 7.* (d) *Cic. 1. de Nat.*

* Omnium bonarum artium Scriptores, ac doctores, & legendi, & pervolutandi, & exercitationis cauſsâ laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi ſunt: diſputandumque de omni re in contrarias partes, & quidquid erit in quâque re, quod probabile videri poſſit, eliciendum, atque dicendum. *Cic. de Orat. lib. 1.*

etiam, atque etiam argumenta cum argumentis comparemus (a): *quâ etenim fronte de iis judicium feremus, quæ perspecta, & cognita non habemus* (b)?

XLIII. Maximam itaque ingenii laudem consequutus, atque de Philosophiâ optimè meritus esse videtur Potamo Alexandrinus, qui non Dionem, ut malè Casaubonus arbitratur, cùm is Potamone posterior fuerit, sed Academicos veteres imitatus *de singulis Sectis, quæ sibi placuere, selegit* (c) *, & *Eclecticam*, sive Electivam Sectam instituit, in quâ celeberrimi viri Galenus, Plotinus, Herennius, Julianus, Ammonius, & *divinus* (d) ille, *ac magnus Philosophus* (e) Jamblychus Plotini auditor floruere. Plurimi quoque ex veteribus Ecclesiæ Patribus, ut Clemens Alexandrinus (f), ejusque auditor Origenes Adamantius (g), & Gregorius Thaumaturgus Origenis discipulus (h) unicè illam adamarunt: neque aliâ certè de caussâ, ut ait Lactantius, qui hanc ipsam philosophandi methodum acerrimè defendit, & elegantissimè illustravit, *illam amarunt, nisi, ut Veritatem, quæ in unâ Sectâ reperiri non poterat, ex pluribus derivarent* (i).

XLIV. Il-

(a) *Cicer.* 1. *de Divin.* (b) *Clem. Alex. Strom.* (c) *Laërt. in Proëm. seg.* 21. (d) *Procl. in Plat. Theol.* (e) *Eustath. in Iliad. lib.* 2. (f) *Strom.* 1. (g) *Vid. Huet. in Origen. lib.* 1. *c.* 1. §. 1. (h) *Orat. Panagyr. in Orig.* (i) *Lib.* 7. *Divin. Instit. c.* 7. *vidend. etiam lib.* 2. *c.* 8. *atque alibi sæpiùs*.

* Omnia probate, quod bonum fuerit, retinete. *Epist.* 1. *ad Thess. c.* 5. *vers.* 5.

XLIV. Illud est etiam in hac Electivâ Sectâ, (si tamen Secta vocari illa potest, in quâ nullius certi, peculiarisque Philosophi opinio defenditur) mirificè commendatum, quod in illâ faciliùs dissidentes inter se Philosophorum sententiæ conciliari, & aliquo veluti fœdere conjungi posse videntur; quod ubi maximo, & immortali Dei munere fortasse liceat, tunc fieri profectò poterit, ut omnes illos, quâ par est, honoris, gratique animi significatione prosequamur, neque illorum sententiæ indictâ causâ, vel quia solùm nobis oppositæ sint, traducantur, ac refellantur: quod tamen fieri non sinè maximo Philosophiæ dedecore plerumque solet: *Quamvis* enim *differentium inter se reprehensiones non sint vituperandæ; maledicta tamen, contumeliæ, iracundiæ, contentiones, concertationesque in disputando pertinaces indignæ Philosophiâ videri debent* (a), *Philosophia siquidem tranquillè, modestèque tractanda est* (b) *.

XLV. Atque ista quidem, aliaque id genus innumera nos impulerunt, ut adhibitâ Socratis, & Academiæ in ferendo judicio modestiâ Eclecticæ, vel Electivæ Sectæ nomen daremus, *non modò quid nobis probaretur, sed etiam quid a sin-*

(a) *Cic. de Fin.* 1. (b) *Seneca epist.* 14.

* Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra id, quod verisimile occurrerit, progredi possumus, & refellere sinè pertinaciâ, & refelli sinè iracundiâ parati sumus: redargui verò, refellique ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam, destinatisque sententiis quasi addicti, & consecrati sunt; eâque necessitate constricti, ut etiam, quæ non probare soleant, ea cogantur constantiæ causâ defendere. *Cic. Tusc.* 4.

prosam media Aristoteli videbatur (a), & cujus ore Atticæ Musæ locuturæ dicebantur (b), & optimus Platonis auditor Aristoteles, qui *aureum eloquentiæ flumen fundere* putabatur (c), ejusque discipulus Tyrtamus, *qui cùm eruditissimus omnium Philosophorum, & elegantissimus* haberetur (d), Teophrasti nomen obtinuit.

XLVIII. *Quamobrem hortor omnes, qui facere id possunt, ut hujus quoque generis laudem jam languenti Græciæ eripiant, & perferant in hanc Urbem, sicut reliquas omnes, quæ quidem erant expetendæ, studio, atque industriâ suâ majores nostri transtulerunt. Atque Oratorum quidem laus ducta ab humili venit ad summum; Philosophia verò nascitur latinis literis ex his temporibus* (e), *cùm illi, qui se profitentur, neque distinctè, neque distributè, neque eleganter, neque ornatè scribere, suos ipsi libros legant cum suis, nec quisquam attingat præter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt* (f). *Itaque eam nos adjuvemus* (g) *atque, ut Aristoteles vir summo ingenio, scientiaque copiâ, cùm motus esset Isocratis Rhetoris gloriâ, dicere etiam cœpit, adolescentes docere, & prudentiam cum eloquentiâ jungere* *; *sic nos, si possumus, eos excitemus, ut liberaliter eruditi, adhibitâ etiam disserendi ratione, & viâ, philosophentur* (g). QUOD ENIM MUNUS REIPUBLICÆ AFFERRE MAJUS, MELIUSVE POSSUMUS, QUAM

(a) *Vide Laërt.* 3. *in Plat.* (b) *Vide Ficin. in vitâ Plat.* (c) *Cic. Acad.* 4. (d) *Cic. Tusc.* 5. (e) *Cicer. Tusc.* 2. (f) *Tusc.* 1. (g) *Tusc.* 2.

* Dissidium illud extitit quasi linguæ, atque cordis; absurdum sanè, & inutile, & reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent. *Cic. de Orat.* 3.

QUAM SI ERUDIMUS JUVENTUTEM; *his præsertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda, & coërcenda sit* (a)? *Magnum id quidem opus, & difficile: quis negat? quid autem præclarum non item arduum? sed tamen id se effecturam Philosophia profitetur, nos modò curationem ejus recipiamus* (b).

XLIX. Sed exposito jam Philosophiæ nomine, origine, incremento, partibus, & methodo, quâ comparari illa debet, reliquum foret, ut aliqua postremò de illius dignitate, præstantiâ, ac necessitate diceremus. Verùm quis unquam esset finis futurus, si laudes omnes innumeras, quibus Philosophiam, ejusque studium Sapientes omnes mirificè commendarunt, complecti vellemus *? Incredibilis itaque, ac divina propemodum Philosophiæ dignitas, utilitas, atque præstantia partim ex iis, quæ hactenus dicta sunt, partim ex iis, quæ subinde dicturi sumus, intelligi poterit; ne hunc in locum integra ferè Ciceronis opera transferamus, quibus hæc omnia uberrimè, invictissimè, & elegantissimè demonstrantur.

L. Illud unum, quod maximè cordi esse debet, hìc iterum monere par fuerit, Philosophiam ad beatitudinem, cujus amore, ut paullo superiùs ostendimus, est instituta, dirigi oportere: ut, quemadmodum illa *descendens a Patre luminum* (c), velut *accuratissima, ac honoratissima* (d), *rerum multarum, ac difficilium cognitio*

(a) *Cic. de Divin.* 2. (b) *Cic. Tusc.* 4 (c) *Jacob. epist. c.* 1. *vers.* 17. (d) *Arist.* 6. *Eth. c.* 7.

* Philosophiæ studium qui vituperat, haud sanè intelligo quidnam sit, quod laudandum putet. *Cic.* 2. *de Off.*

tio (a), *veritatis scientia* (b), *omnium laudatarum artium procreatrix*, *quadam*, *& parens* (c), *vitæ dux* (d), *medicina animi* (e), *inventrix legum*, *magistra morum*, *& disciplina* (f) in mentibus nostris immortali Dei munere reperitur; sic illa quoque degeneres animos ad Deum revocet (g), similes Deo nos efficiat (h); ipsa denique sola per sincerum veritatis, & honestatis amorem, quem in Philosopho expetit Plato (i), ad Deum nos deducat, & sistat: *Quæ enim ad Deum ferat unica via est* PIETAS COGNITIONI *conjuncta* (k).



Quod

(a) *Arist.* 1. *Rhetor.* 2. (b) *Arist.* 2. *Metaph.* 1. (c) *Cic. de Orat.* 1. (d) *Cic. Tusc.* 5. (e) *Cic. Tusc.* 3. (f) *Tusc.* 5. (g) *Plato* 8. *de Repub. & Justin. contra Tryph.* (h) *Plato apud Ammon. in Isag. Porphyr. & Pythag. apud Laërt.* 8. (i) *De Republ.* 7. *&* 8. *& in epist. ad Dionys.* (k) *Auctor Paman. c.* 6.

QUod postremo nos loco facturos esse suscepimus, Sectarum omnium seriem, vel successiones ex illustrioribus, melioriſque notæ Scriptoribus hîc exhibemus; clarioresque Philosophos, qui in illarum singulis ordine floruerunt, accuratiori certè, vel uberiori schemate, quàm alii præstiterint, exponimus. Hac verò methodo singula disposuimus, ut Sectarum numerus, ordo, origo, sive unius ex aliâ derivatio, illarum principes, ac præceptores, qui in iis non interruptâ serie extiterunt, unico velut intuitu legentium animis, atque oculis affulgeret. Singulis deinde Philosophorum nominibus numerum quoque conjunximus, ut qui Philosophi cujusque patriam, ætatem, res etiam subinde præclarè gestas, memoratuque dignissimas pernosse cuperet, hæc in sequentibus paginis, quas iisdem numeris ritè, accuratèque distinximus, inveniret. Illorum denique Philosophorum, vel illustrium virorum nomina, qui ad certam Sectam referri minimè poterant, posteriori loco, servatâ temporum serie, subjunximus; ut eruditi, studiosique adolescentes, quibus consulere cordi fuit, nihil in nobis hac etiam in parte optare posse viderentur, neque illorum, quos hic frequenter laudari viderint, patriam ætatem, &c. ex Petavio, quo plerumque nos usi sumus, ceterisve Scriptoribus inquirere cogerentur.

Quandoquidem verò in concinnandâ Sectarum serie, digerendisque temporibus eximii Philosophi, atque de Philosophis omnibus, & Philosophiâ ipsâ præclarè meriti Diogenis Laërtii historia

ſtoriâ, & authoritate uſi ſumus, Diogenis ejuſdem patriam, ac tempora hoc primo loco exponemus.

Diogenes itaque Laërtam Ciliciæ urbem patriam habuit, unde etiam Laërtii nomen obtinuit. Mirari verò, vel conqueri meritò ſolemus, quod ipſe, vel veteres omnes Scriptores ejus ætatem incertam, vel obſcuram nobis reliquerint. Cùm tamen Diogenes ipſe Plutarchi ſub Trajano florentis meminerit lib. 4. ſeg. 4. & lib. 9. ſeg. 60., neceſſarium eſt, ut poſt Trajanum ipſe vixerit. Quemadmodum etiam, cùm lib. 9. ſeg. 116. Sextum Empiricum, qui Plutarchi nepos fuit, atque lib. 10. Epictetum memoret, quorum alter ad Antonini imperium pervenit, ut Suidas teſtatur, Laërtius ipſe poſt illa tempora florere debuit, hoc eſt annum Chriſti ducenteſimum. Poſtremo cùm Diogenes in Proœmio ſeg. 21. dixerit Potamonem Eclecticæ Sectæ Principem *non ita pridem* extitiſſe, hic autem poſt Auguſtum, ut auctor eſt Suidas, floruerit, poſt eadem quoque tempora Diogenes vixiſſe debet. Hiſtoriam verò Philoſophorum a ſe conſcriptam fæminæ cuidam Platonis ſtudioſæ nuncupavit, ut ex libro 3. ſeg. 47. manifeſtè deducitur, atque, ut Rheineſius arbitratur, Arriæ cujus Galenus, aut certè auctor libri de Theriacâ ad Piſonem Galeno ſuppar, atque, ut ipſe teſtatur, M. Antonino ſynchronus, meminit cap. 3. Quamvis autem Diogenis obitus incertus omnino ſit, credibile eſt tamen ipſum aut ante M. Antoninum, & Epictetum, aut certè brevi poſt ipſos exceſſiſſe, cùm neutrius inter Stoicos vitam deſcripſerit. Epicuro denique addictiſſimum fuiſſe Laërtium plurima evincunt, præſertim verò diligens ſtudium, quo illius vitam, & dogmata illuſtravit. Ce-

Ceterùm ex pluribus egregii Scriptoris hujus latinis Interpretationibus, quæ circumferuntur, illâ nos usos esse monemus, quam V. Cl. Meibomius adornavit, plurium Auctorum, præsertim verò Menagii observationibus illustratam. Quemadmodum etiam ex Stanleii Historiâ Philosophicâ Clerici interpretatione, & observationibus adornatâ, Lipsiæque anno 1711. editâ pleraque nos accepisse, & facilè agnoscet benevolus lector, atque nos ipsi ingenuè, neque sinè maximâ quoque grati animi significatione fatemur.

Utrumque tamen, etsi id muneris nostri consilium exigere minimè videretur, subinde correximus, aut explicavimus; cùm errores aliqui, aut ab aliis, aut a nobis primùm observati, egregiis etiam Scriptoribus illis exciderint; quemadmodum certè nobis longè plures, gravioresque excidisse meritò veremur, quos liberè a lectoribus nostris corrigi non modò facilè patiemur, sed optamus etiam, plurimumque rogamus.

Quoniam verò in iis temporibus supputandis, quibus variarum Gentium Philosophi floruere, varias Epochas, sive rationes adhibuimus, quibus Authores illi potissimùm usi sunt, qui Philosophorum historias conscripsere, id obiter hìc monere par fuerit, quod illarum singulæ inter se facilè comparari, sive conjungi possunt; si ad unicum veluti communem terminum referantur, ut ex. gr. ad annum Christi natalem. Annus itaque Christi natalis, qui annum primum Æræ nostræ Christianæ vulgaris, in quâ 1731. annos nunc numeramus, fuit 3. Olympiadis 194. sive 775. ab anno 1. primæ Olympiadis. 753.

autem ab Urbe Româ Conditâ; 1183. a bello Trojano; 4713. denique Periodi Julianæ, in quâ Periodo annus iste 1731. quem agimus, est 6444. Si itaque annus aliquis, quo Philosophorum quispiam obierit, natusve fuerit, aut in Olympiadum serie, aut ab U. C. numeretur; intelligi facilè poterit, quot ab illo ad annum Christi natalem, aut ad hæc nostra tempora intercesserint; quod exemplis etiam illustriùs ostendi posset, si id rei perspicuitas pateretur.

1. Milesius *genus antiquum a Phœnicibus derivans*, ut ait Herod. in Clio: unde ab aliquibus apud Clem. Alex. Strom. 1. & Suid. in Thal. est habitus Phœnix; *ut pluribus tamen videtur*, ac Laërtius ipse testatur lib. 1. *est indigena Milesius*, *&* *claro genere natus*. Hinc ab alio Thalete distinguendus, qui ex Plutarch. in *Lycurg.* Lycurgi, Homeri ætate floruerat, cum ab Iphito Olympiades sunt institutæ anno P. J. 3830. quamvis numerari cœperint anno P. J. 3938. Natus est anno 1. Olymp. 35. ex Laërt. obiit 1. Olymp. 58. unde non 70. aut 90. annos vixit, ut malè Laërtius, sed 92. Sapientis nomen est consequutus anno 4. Olymp. 48.

2. Milesius natus est ann. 3. Olymp. 42. ex Laërt. 1. seg. 2. obiit Olymp. 58. sive meliùs 68. ut illum Anaximenes audire potuerit. Corrigendus est autem hìc Meibomii locus, in quo Thaletem Anaximandri, Phœrecidem Pythagoræ non præceptorem, sed auditorem facit ad seg. 13. Proëm.

3. Mi-

3. Milesius & ipse, Anaximandri *sodalis* ut inquit Simplic. in lib. 1. Phys. c. 2. atque *discipulus* ex Cicer. 4. Acad. natus ex Laërt. Olymp. 63. Perperam inter Thaletis auditores enumeratur a Stanlejo in Thal. c. 12. floruit autem ex Suida, & Euseb. Chron. ann. 2. Olymp. 56.

4. Clazomenius natus ex Laërt. ann. 1. Olymp. 70. P. J. 4216. A. C. 498. *agros, & patrimonium suum reliquit, ut discendi, quaerendique divina delectationi toto se animo dederet*, ut inquit Cicer. Tusc. 1. *Mens* appellatus, quòd materiæ Mentem opificem addidisset, ex Laërt. lib. 2. seg. 6. obiit ann. natus 85. non anno 1. Olymp. 78. ut vitiosè scribit Laërt. sed 88. ut illum Socrates audire potuerit, quod Laërtius ipse testatur lib. 2. seg. 45. Discessit Athenis Lampsacum ann. 3. Olymp. 82. ubi 20. annis superstes floruit.

5. Atheniensis, sive, ut alii putant, Milesius Athenis docuit, quò ex Joniâ scholam transtulit, ut scribit Laërtius; meliùs tamen id Anaxagoræ tribuit Clem. Alex. Strom. 1. cùm certè Anaxagoras 30. annis Athenis docuerit.

6. Atheniensis natus ann. 4. Olymp. 77. die 30. Maii Greg. P. J. 4247. fer. 5. A. C. 467. Post Anaxagoram Prodicum quoque Sophistam audivit ex Platone in *Axiocho*; quemadmodum Aspasiam, & Diotimam, ut idem Plato testatur in *Conviv.* obiit ann. 1. Olympo. 95. ex Laërt. 2. seg. 44. quod etiam ex Demetrio Phalereo, & Marmore Arundelliano contra Allatium probatur.

7. Elienſis nobili ortus genere; ſed a piratis raptus, ac venditus a Socrate liberatus eſt ex Agell. 2. c. 18.

8. Elienſis Phœdoni in ſcholâ ſucceſſit.

9. Eretrius, unde Secta Eretriam translata Eretriacæ nomen obtinuit. Platonem quoque Athenis, atque Megaris Stilponem audivit, ad quem ab Aſclepiade deductus fuerat. Vixit annos 84. ex Laërt. lib. 2. ſeg. 144.

10. Phliaſius Menedemo conjunctiſſimus.

11. Megarenſis cùm litigioſiſſimus foret Eriſticam Sectam inſtituit; quæ poſt Dionyſium Carthagin. Dialectica vocari cœpit.

12. Mileſius Demoſthenis præceptor ex Laërt. 2.

13. Elienſis *vir acer, & contentionis viribus, ac nervis clarus* ex Laërt. 2. ſeg. 109. qui Sectam Olympicam, dum Olympiæ moraretur, inſtituere meditabatur.

14. Cyrenæus cognomento Cronus.

15. Ex Jaſo Cariæ urbe: Eubulidem, atque Apollonium audivit; unde Cronus, & ipſe vocatus ex Strab. lib. 17. Ichtyas autem, atque Clinomachus Euclidis ſectatores incerti temporis, ac ſcholæ ſunt. Laërt. 2. ſeg. 112.

16. Olynthius Antigoni regis præceptor ex Laërt. 2. ſeg. 110.

17. Megarenſis. Euclidem ipſum audiviſſe fertur, quod tamen temporum rationi repugnat, cùm vixerit Ptolemæi prioris ætate ex Laërt. 2. ſeg. 115. varios itaque Megaricæ Sectæ Philoſophos audivit. *Acutum hominem, atque temporibus illis probatum* dicit Cic. de Fato.

18. Athe-

18. Athenienſis natus eſt ann. 1. Olymp. 88. die 9. Jun. Greg. P. J. 4286. A. C. 428. fer. 6. quamvis Menagius in annum 2. Olymp. 77. id referat. obiit ann. 1. Olymp. 108. U. C. 406. A. C. 348. eodem die, quo natus. Tarentum veniſſe Platonem inquit Cicero in *Catone* L. Damilio, & P. Claudio Coſſ. ſed mendum in fictis Coſſ. nominibus reperitur. Itaque reponendi fortaſſe ſunt L. Fur. Camillus, & A. Claud. Craſſus Coſſ. anni ab U. C. 405. Duplicem verò errorem errat Stanlejus, qui ſcribit L. Camillum, & Ap. Claudium a Cicerone memorari, ſubditque nullos ejus nominis Coſſ. quandiu Plato vixit, in faſtis reperiri. Primò in Siciliam venit ann. U. C. 400. ex Agell. 17. c. 21.

19. Athenienſis Platonis ex ſorore nepos: ſcholæ præfuit annos 8. obiit anno 2. Olymp. 110.

20. Chalcedonius natus eſt anno 4. Olymp. 95. atque ubi ſcholæ præfuiſſet annis 25. obiit ann. 1. Olymp. 116. *ſeveriſſimus Philoſophorum* a Cicerone vocatus Offic. 2.

21. Athenienſis cùm perditis antea moribus eſſet, a Xenocrate ad Philoſophiam, honeſtatemque adductus eſt. Laërt. 4. ſeg. 16.

22. Solenſis Xenocratem cum Polemone ſimul audivit. *In Academiâ vel in primis nobilis fuit*. Cic. Tuſc. 3.

23. Athenienſis Polemoni conjunctiſſimus ut illos Arceſilaus *Deos eſſe*, *vel aureæ ſaltèm ætatis reliquias* dixerit apud Laërt. 4. ſeg. 22.

 23. Pri-

24. Pritanæus natus anno 1. Olymp. 116. post Cratetem scholæ præesse cœpit, illius tamen methodum variavit. obiit anno 4. Olymp. 134.

25. Cyrenæus scholam rexit annis 26. cùm illam Evandro, & Telecli cesserit anno 2. Olymp. 141. quo mortuus est.

26. Phocensis Theleclis concivis.

27. Pergamenus, quem Hegesilaum vocat Clemens Strom. 1.

28. Cyrenæus. Hegesimum is quidem audivit, atque illi in scholâ successit, sed a Diogene etiam Stoico Dialecticam est edoctus. Natus autem est anno 1. Olymp. 162. quamvis hoc anno vitiosè dicatur in Laërtii textu mortuus Carneades. Vixit ex Laërt. annos 85. vel ex Cicer. in 4. Acad. 90. adeoque obiit juxta Laërtium anno 1. Olymp. 184. Ciceroni verò ann. 2. Olymp. 185. Romam Atheniensium legatus venit, non anno U. C. 534. sive 2. Olymp. 140., ut malè, sibique non constans in *Critolao* scribit Stanlejus sed 599. P. Scipione, & M. Marcello Coss. ut refert Cicero 4. Acad. quamvis Casaubonus in Synop. ad Histor. Polyb. id referat ad annum U. C. 603. Obiit anno 4. Olymp. 162. U. C. 626. ex Laërtio; perperam tamen cùm anno U. C. 652. Antonio Ciliciæ Proconsule adhuc superstes foret ex Cic. de Orat. lib. 1.

29. Carthaginiensis 40. annos natus Athenas se contulit, atque Carneadem audivit. *Homo acutus, & valde studiosus, & diligens* a Cicerone vocatur in *Lucullo*.

30. La-

30. Lariſſeus, quem Sextus Empyricus quartæ Academiæ auctorem facit contra ac ſcribit Cicero 1. Academ. qui Philonem ipſum ſe audiviſſe teſtatur Nat. 1.

31. Aſcalonita L. Luculli familiaris, & ſocius ex Cic. 2. Acad. Quintæ Academiæ inſtitutor Empyrico habitus Hypoth. 1. Etſi verò Stoicis plurimùm favebat, veteris tamen Academiæ rationem inſtaurare ſtuduit. Hunc quoque a Cicerone Athenis auditum ſcribit Plutarch. in *Cic.* atque idem Cicero Acad. quæſt. 4. *acutiſſimum, & ſua memoria philoſophorum politiſſimum* vocat.

32. Cyrenaicus Xenophonti, Platoni, Antiſtheni, Æſchini, & Phœdoni maximè inviſus.

33. Cyrenenſis & ipſe, Ariſtippi in ſcholâ ſucceſſor.

34. Ariſtippi filia.

35. Arete filius, & auditor; unde μητροδίδακτος appellatus.

36. Atheus dictus, Theodoriæ Sectæ inſtitutor. Anniceridem tamen etiam audivit, ſicuti Dionyſium Dialecticum, Zenonem Citticum, atque Pyrrhonem ipſum ex Laërt. & Suida; qui ex Theodori libro plura Epicurum ſumpſiſſe addit.

37. Boryſthenita; primùm Cratetis, tum Cynicorum, tum Theodori, atque poſtremò Theophraſti Peripatetici auditor ex Laërt. 4. ſeg. 29.

38. Cyrenæus ex Laërt. 2. ſeg. 86.

39. Incertæ patriæ, ac ætatis. Laërt. ibid.

40. Cyrenaicus fortaſſe etiam patriâ ex Cicer. Tuſc. 1. *Mortis orator*, dictus, quòd Mortis

 lau-

laudes egregio libro fuerit prosequutus. Hegesiacam Sectam instituit.

41. Cyrenensis, a quo Anniceria Secta nomen, & originem duxit. Hunc Epicureum quoque fuisse, atque Alexandri ætate vixisse scribit Suidas.

42. Atheniensis, quem *acutissimum fuisse, & colloquii concinnitate quemlibet capere, ac ducere potuisse, quò vellet*, scribit Laërt. 6. seg. 14.

43. Sinopensis natus anno 3. Olymp. 91. obiit anno 1. Olymp. 114.

44. Thebanus floruit circa Olymp. 113. ex Laërt. 6. seg. 87.

45. Syracusanus Cratetem quoque audivit.

46. Æginensis, vel Astypalensis. Alexandrum in bello sequutus est, unde Laërtius ipsum Xenophonti Cyri castra sequuto comparat. Laërt. 6. seg. 84.

47. Theophrastum Peripateticum audivit, tum Cratetem, cui in scholâ successit.

48. Metroclis soror.

49. Cittius Stoicorum auctor obiit Olymp. 129. ut ait Petav. ex Eus.

50. Metroclis discipulus.

51. Metroclis & ipse cum Theombroto auditor Timarchi, & Echeclis præceptor.

52. Ephesius, qui præter Cleomenem unà cum Timarcho Alexandrino Theombrotum etiam audivit.

53. Echeclis, atque etiam Coloti Lampsaceni discipulus, in quo Cynicorum Secta defecit; cùm eodem ferè tempore vixerit etiam Menippus inter Cynicos enumeratus a Laërt. lib. 6. seg. 99.

54. Alexandrinus.
55. Gadaris ortus ex Strab. lib. 16. extra feriem Cynicorum Laërt. 6. feg. 99.
56. Lampfacenus Menedemi præceptor. Laërt. *ibid.* feg. 102.
57. Cittienfis ex Cypro infulâ. Cratetis, Stilponis, Xenocratis, Diodori Croni, Polemonis auditor antequam Stoicam Sectam inftitueret. Obiit poft Olymp. 129. annos natus 98. ex Laërt. 7. feg. 28. & Lucian. de Longæv.
58. Carthaginienfis Ciceroni fub Erilli nomine memoratus in Lucul. & 2. de Fin.
59. Cittius, quem fenio confectus Zeno ad Antigonum mifit. Laërt. 7. feg. 6.
60. Bofphorius qui Zenonem, & poftea Cleanthem audivit.
61. Chius cognomento *Siren* ex Laërt. qui poftremò ex Zenone ad Polemonem fe contulit. De ipfo Cic. in Lucul.
62. Heracleota Heraclidis antea, tum Alexini, & Menedemi, poftremò Zenonis auditor, a quo denique deficiens ad Cyrenenfes convolavit, obiit annos natus 80.
63. Affius Cratetis antea, tum Zenonis per annos 19. auditor, atque fucceffor; *majorum gentium Stoicus*, *&* *Stoicorum pater* a Cicerone dictus 3. de Nat. & Acad. 4. vixit annos 80. ex Laërt. five ut Lucian. de Longæv. 99.
64. Solenfis e Ciliciâ, qui fulcire dicebatur porticum Stoicorum. Dialecticam verò adeo coluit, & illuftravit, ut ipfam dii, fi loqui vellent, adhibituri dicerentur ex Laërt. 7.

feg.

seg. 181. obiit Olymp. 143. annos natus 73. natus est itaque ineunte Olymp. 125.

65. Ex Seleuciâ Babyloni proximâ, unde etiam Babylonius dictus: Chrysippi auditor, quem *magnum*, & *gravem Stoicum* appellat Cicero Tusc. 3. atque in longam senectutem vixisse testatur in libro de Senect. Cum Carneade, & Critolao Romam venit.

66. Tharsensis, sive Sidonius Suidæ memoratus, Chrysippi & ipse auditor, pluriumque discipulorum magister.

67. Sidonius Diogenis discipulus, quem *acutissimum hominem* vocat Cicero Offic. 3. atque *inter magnos Stoicæ Sectæ auctores* habitum testatur Seneca epist. 92. Ab Antipatro Tyrio distinguendus, de quo Cic. Offic. 2. atque Plutarch. in *Caton.* ubi Catonem ipsum Uticensem Antipatri auditorem facit.

68. Rhodius Antipatri auditor Scipionis Aphricani familiaris,& comes ex Plutarch. Apopht. & Cic. Acad. 2. *Princeps prope Stoicorum* a Cicerone vocatus Acad. 4. *Stoicorumque gravissimus* Offic. 2. & de Fin. 4.

69. Apameæ quidem natus, cùm tamen Rhodi vixerit, Rhodius est appellatus. Iste, quem Cicero Rhodi audivit, ut testatur 1. de Nat. ab alio Possidonio Corinthio distingui debet, quem Pompejus submissis januæ fascibus honoravit, ut refert Plin. lib. 7. Epist. 30. Atque in his Jonica Secta, ejusque variæ successiones desiisse videntur.

70. Metapontinus ex Porphyr. in vitâ; aut Etruscus ut ex Plutarch. Sympos. lib. 7. quæst. 7. aut Samius ex Suid. natus est an-

no

no 3. Olymp. 53. Dodvellus tamen Differt. de Cyclis 3. natum exiftimat anno 4. Olymp. 52. deinde verò natalem ipfius annum exiftimat effe primum Olymp. 53. in Differtat. de ætate Pythagoræ. Antiquiorem faciunt Loydius Differt. de ætate Pythag. & Benthlejus Apol. Differt. de epiftolis Phalaridis, cùm natum putent anno 3. vel 4. Olymp. 43. Circa Olymp. 62. in Italiam venit ex Jambl. in Vitâ Pythag. five potiùs Olymp. 66. ut ex Cicerone 4. Tufc. & 2. Orat. deducitur, cùm nempe Brutus patriam liberavit; five ut ait 1. Tufc. Superbo regnante. Adhuc autem impuber Thaletem audiverat. obiit anno 4. Olymp. 70. ex Euf. etfi annis 80. aut 90. vixiffe dicatur Laërt.

71. Crotoniates Pythagoræ auditor ex Laërt. 8. Primus, qui phyfica fcripferit. Clem. Strom. 1.

72. Cous obiit annos natus 90. ex Laërt. lib. 8. feg. 78.

73. Ex Thraciâ: Pythagoræ fervus, quamvis hunc Herodotus lib. 4. diu ante Pythagoram vixiffe putet.

74. Locrenfium legislator.

75. Rheginorum legislator.

76. Crotoniata celeberrimus athleta, qui labentis columnæ locum fubiens feque, fociofque liberavit. Vide Strab. lib. 6.

77. Scytha, vel Hyperboreus ex Jambl. c. 19.

78. Pythagoræ fervus.

79. Crotoniata: conjux, five ut Laërtius, & Suidas ait, pater Theano; atque in fcholâ cum ipsâ

ipsâ successor, cui ex Jambl. præfuit annis 39. obiitque ferè centenarius.

80. Crotonensis ex Suida in *Theano*, & Dyd. apud Clem. Strom. 1. uxor, ac discipula Pythagoræ, cui jam defuncto in scholâ successit ex Theodor. Therap. 2.

81. Pythagoræ ex Theano filius ex Suida in *Theano*; scholam & ipse rexit ex Jambl. c.36.

82. Alter Pythagoræ filius ex eadem Theano; scholæ similiter præfuit, atque Empedoclis præceptor a Laërtio creditur lib. 8. seg. 43.

83. Ejus ætate Crotona direpta est.

84. Crotoniata.

85. Ejus nomen ignoratur; Lucanum tamen patriâ fuisse constat.

86. Aspendius dictus, atque Lucani illius auditor, atque successor, in quo continua Pythagoræorum series deficit.

87. Agrigentinus Pythagoræ auditor ex Timæo apud Laërtium lib. 8. seg. 54. atque Porphyrium, & Jambl. in Vita Pyth. c.23. cùm tamen Empedocles natus fuerit anno 4. Olymp. 76. Pythagoram certè audire non potuit; nisi fortasse Aliptem Samii discipulum. Vid. Dodvel. de æt. Pythag. obiit annos natus 77. sive, ut alii volunt 109. Laërt. 8.

88. Tarentinus Platoni coævus: de ejus morte Horat. lib. 1. Ode 28.

89. Metapontinus ex Laërt.

90. Crotoniata Platoni & ipse coævus, Architæ auditor ex Cic. lib. 3. de Orat.

91. Gnidius. Geometriam ab Archita didicit ex Laërt. 8. seg. 86. Platonem quoque audivisse

se fertur dum annum ageret 23. flor. Olymp. 103. in Ægyptum unà cùm Platone descendit ex Strab. 14. obiitque annos natus 63.

92. Locrus, sive Locrensis.

93. Lucanus, qui librum de Universi naturâ scripsit.

94. Samius.

95. Colophonius Hieronis, & Epicharmi Poëtæ ætate floruit Olymp. 60. vixitque annis 92. ex Laërt. lib. 9. seg. 19. non verò 98. ut malè computat Stanlejus. Epimenidem audiit.

96. Eleates Xenophanis auditor, quamvis ab illo opinando recesserit, flor. Olymp. 69. ex Laërt. sed cùm Socratem juvenem viderit ex Platone in *Parmen.* ad Olymp. 80. pervenisse debuit.

97. Ephesius nullius auditor, ut refert Laërtius; sed Xenophanem potiùs audivit ex eodem Laërt. 9. seg. 5. floruit Olymp. 69. obiit anno ætatis 60.

98. Eleates flor. Olymp. 79. Logicæ inventor.

99. Samius Parmenidis auditor, cum Heraclito quoque conversatus floruit circa Olymp. 84. ex Laërt. lib. 9. seg. 24.

100. Eleates, aut Melius, aut Abderita; vide Laërt. 9. seg. 30.

101. Milesius, sive potiùs Abderita.. Natus ex Apollodoro apud Laërtium, quem sequitur Stanlejus, Olymp. 80. ex Thrasyllo verò apud eundem Laërtium, quem Petavius amplectitur, ann. 3. Olymp. 77. solo anno Socrate senior annum centesimum superavit.

102.

102. Apolloniates Anaximenem quoque audivit. ex Laërt. 9. seg. 57.
103. Abderita floruit Olymp. 74. ac septuagenarius decessit ex Laërt. lib. 9. seg. 55.
104. Chius Nessi cujusdam, sive Democriti auditor.
105. Abderita Alexandro coævus flor. Olymp. 110. obiit Olymp. 114.
106. Eliensis Anaxarchi auditor natus circa Olymp. 101. obiit ferè nonagenarius ex Laërt. & Suid.
107. Atheniensis Pyrrhonis auditor.
108. Sive Hecatæus Abderita.
109. Maximus Sophistarum inimicus.
110. Phliasius obiit annos natus ferè 90. in hoc schola Pyrrhonica desiit, donec a Ptolemæo, de quo Laërt. lib. 9. seg. 115. excitaretur, quamvis plures ipse discipulos habuisse dicatur apud Laërt. 9. & Suid. in *Timone*.
111. Tejus Pyrrhonis auditor, atque, ut aliqui putant, Epicuri præceptor.
112. Cyrenæus. Dioscoridem Cyprium, Nicolochum Rhodium, Praylum Troadensem auditores habuit ex Laërt. 9. seg. 115.
113. Seleuciensis.
114. Alexandrinus.
115. Incognitæ patriæ.
116. Incertæ originis hic quoque. vid. Laërt. lib. 10. seg. 116.
117. Hujus nonnisi nomen nobis reliquit Laërt. loco cit.
118. Gnosius Heraclidis auditor floruit Alexandriæ, atque Pyrrhonicam Sectam scriptis illustravit. Laërt.
119. Polites.

Co-

120. Cognomento γωνιότυς.

121. Laodicenus, qui & Theodam Laodicenum auditorem habuit.

122. Nicomedienſis medicus empiricus.

123. Tharſenſis.

124. Chæronenſis Plutarchi nepos a M. Aurelio plurimùm honoratus ex Suida *in Sext.* ejus 10. libri de Scepticâ Philoſophiâ ſuperſunt.

125. Cythenas Sexti auditor.

126. Athenienſis natus die 2. Februarii Gregor. anno 3. Olymp. 109. P. J. 4373. A. C. 341. unde mirè falluntur in hoc Chron. Alexandr. Euſeb. & Suidas. Xenocratem, & Pamphilum Platonicum audiviſſe fertur ex Cic. 1. de Nat. & ex Clem. Strom. 1. A Nauſiphane, cum quo certè plurimùm converſatus, Pyrrhonicorum dogmata intellexit ex Laërt. obiit die 31. Januar. Greg. anno P. J. 4444. anno 2. Olymp. 127. ex Petav. Stanlejo.

127. Lampſacenus ex Strab. lib. 13. non verò Athenienſis, ut malè Laërtius. hunc *alterum Epicurum* vocat Cicero 2. de Fin. Annis 12. junior Epicuro; obiit annos natus 63. vide Sen. ep. 6.

128. Lampſacenus: hic quoque, quemadmodum plures alii, ex Epicuri auditoribus; *magnus Mathematicus* Ciceroni vocatus 4. Acad.

129. Mitylenæus ab Epicuro ſcholæ ſucceſſor deſtinatus. *Vir inſignis* a Laërtio vocatus lib. 10. ſeg. 24.

130. Hermachi in ſcholâ ſucceſſor. Incertæ patriæ, ac ætatis.

131.

131. Hunc Polystrato successisse scribit Laërtius, sed illius patriam omisit.

132. Ultimus, qui in hac Epicureorum serie a Laërtio memoretur.

133. Bargyleites *illustris vir* a Strabone dicitur lib. 14. fortasse autem Basilidi successit.

134. Cognomento Lacon; ex Strab. loco citato Protarcho successit; a Sexto Empir. lib. 2. adv. logicos laudatus.

135. Tarsensis fortè Demetrii successor, in quo postremò tota series desinit; incertum est enim an ad ipsam pertineant duo Ptolemæi Alexandrini inter Epicureos a Laërtio memorati.

136. Ex Seleuciâ ab Athenæo memoratus lib. 5. floruit Olymp. 155.

137. De hoc quoque Athenæus. Uterque tamen est extra seriem.

138. Quem *illustrem* vocat Laërtius 10.

139. Sidonius Apollodori auditor ex Laërtio, quem *sensu, & elocutione clarum, atque apertum* vocat Laërt. lib. 7. seg. 35. *Coriphæum, & principem Epicureorum* vocat Cicero de Nat. 1. illumque a se auditum scribit ibidem, & lib. 5. epist. 11. ad Attic.

140. Stagyrâ Thraciæ oppido natus anno 1. Olymp. 99. Annum agens 17. Platonem audivit, idque per 20. annos, non verò Socratem, ut contra temporum rationem Ammonius in vitâ, & Olympiodorus existimant. Peripateticam Sectam anno 2. Olymp. 111. instituit in Lycæo, suburbio nimirum Atheniensi, quod a Pericle institutum fuerat, ut in illo juvenes in militiâ exercerentur ex

Laërt.

Laërt. 5. & Suida in *Lycæo*. Obiit in Chalcide an. 3. Olymp. 114. ex Laërt. lib. 5. seg. 10.

141. Rhodius Theophrasti æmulus Historiæ Geometriæ scriptor; ab alio Eudemo Cyprio ejusdem Aristotelis auditore distinguendus; Pasicratis autem illius frater, cui plures ex Metaphysicis libris tribuuntur ex Philopono.

142. Solensis sæpius ab Athenæo laudatus.

143. Tarentinus musicus, qui antea Xenophilum Pythagoricum, tum Aristotelem audivit ex Suida.

144. Olynthius Aristotelis ex sorore nepos, Alexandri comes.

145. Atheniensis, qui Platonem etiam audivit.

146. Ponticus Speusippi antea auditor ex Laërt. 5. seg. 86.

147. Messanensis orator, atque Geometra Ciceroni, & Plutarcho sæpius memoratus.

148. Ex Eresso Lesbi urbe; Tyrtamus antea vocatus; qui bismille auditores habuit ex Laërt. lib. 5. seg. 37. atque inter ceteros Demetrium Phalereum, Erasistratum medicum, & Menandrum Comicum; hunc Aristoteles in scholæ successione Menedemo Rhodio præposuit, cum gustatis Lesbio, & Rhodio vinis *utrumque oppidò*, inquit, *bonum est, sed Lesbium dulcius*. Agell. 13. c. 3. Floruit autem anno U. C. 440. ex Plin. lib. 15. obiit anno 3. Olymp. 123. quo Strato illi successit, annos natus ex Laërt. 85. adeoque natus est ann. 2. Olymp. 102.

149. Lampsacenus scholæ præesse cœpit anno 3. Olymp. 123. præfuit per ann. 18. Ptolemæi Philadelphi præceptor. Obiit Olymp. 127.

150. Troadensis scholam rexit annis 40. incipiens ab Olymp. 127. vixitque annos 74.

151. Ceus *concinnus*, *&* *elegans* a Cicerone vocatus de Fin. 5. Lyconis successor ex Plutarch. de exil. & Clem. Strom. 1. Ab Aristone Chio Andronici discipulo distinguendus, de quo Strabo 14.

152. Phaselides ex Lyciâ Aristonis auditor, atque successor ex Cic. Fin. 5. & Plut. de exil. Cum Carneade, & Diogene Romam venit.

153. In hoc Peripatetica series deficit, nisi quod ipsi successorem facit Fabricius Bibliothec. Græc. lib. 3. Erymneum, quem Athenionis præceptorem fuisse scribit Athenæus lib. 5.

154. Alexandrinus: floruit, atque Eclecticam Sectam instituit paullo ante Laërtii tempora; cùm itaque Laërtius ipse post Antonini ætatem floruerit, quippe qui Epicteti Antonino coævi meminerit, Potamon *ante*, & *post Augustum* florere non potuit, ut perperam Suidas ait: ab Augusti nimirum ætate ad Severi tempora, quibus Laërtius, & Potamon vixit, 179. anni fluxerunt.

155. Cognomento *Sacca*, quòd mercibus ex portu Alexandrino in Urbem ferendis viveret. Alexandriæ docuit, floruitque Commodi ætate. Illum Hierocles libro de Provid. apud Phot. Cod. 214. *divinitus edoctum* vocat. obiit Christianus, ut contra Porphyrium demonstrat Euseb. Hist. lib. 6. c. 19.

156. Ammonii auditor per annos 11. ab anno 13. Severi usque ad annum 2. Claudii vixit, & Romæ plurimos docuit ex Porphyr. in vitâ Plotini.

157. So-

157. Soli Porphyrio memoratus. Hic Ammonii dogmata primus vulgavit.

158. Ab alio Origene Adamantio distinguendus; cùm ille sub Gallieno floruerit, Adamantius autem sub Gallo, & Volusiano obierit ex Euseb. Videndus Pagius, Valesius, & Huetius in Origen. lib. 1. c. 1.

159. Tyro oriundus pàtriâ linguâ Malchus antea dictus, tum ex purpureæ vestis usu Porphyrius: Judaicæ primùm, deinde Christianæ religionis desertor.

160. Chalcidensis: Constantini, & Juliani ætate floruit; *magnum Philosophum* vocat Eustathius in Iliad. 2. *divinissimum* doctorem Eunapius in Plat. Theolog.

161. Eunapio memoratus, Juliani Imperatoris præceptor fuit, quemadmodum etiam illius Antonini, qui Alexandriæ ad Theodosii tempora docuit.

162. Syrus; in aulâ Constantini vixit utramque fortunam expertus.

163. Alexandrinus, non verò Gazæus, ut male Jonsius putat, Jamblychi auditor, quamvis Orpheum, Pythagoram, atque Aristotelem ipsum admiratus, atque imitatus fuerit: floruit ab Arcadii & Honorii, usque ad Valentiniani II. ætatem.

164. Sardianus.

165. Se Chrysantii auditorem fuisse fatetur in vitâ Ædesii, & Chrisan. Maximum quoque jam senem audivit. Post Theodosii tempora floruit, cùm illius in vitâ Ædesii meminerit.

166. Natus est, ex Fabricii calculo, anno Christi 412. die 8. Febr. obiit anno 487. Plutar-

chum, paullo antequam is moreretur, Athenis audivit; quemadmodum etiam Olympiodorum Alexandriæ. Syriano in Athenienſi ſcholâ ſucceſſit.

167. Flaviam Neopolim Samariæ urbem patriam habuit, Proclo in Athenienſi cathedrâ ſucceſſit.

168. Scholæ quidem poſt Marinum præpoſitus, cùm tamen illam recuſaſſet, ad Iſidorum hæc tranſiit ex Phot.

169. Procli, deinde etiam Marini auditor.

170. Damaſcenus: Juſtiniani Imperatoris ævo floruit ex Suida, a quo Stoicus quidem dicitur, ſed vitiosè, cùm Eclecticus apertiſſimè ex Photio cod. 242. aliiſque ſcriptoribus oſtendatur.

1. Job natus eſt anno P. J. 2971. ante Chr. 1763. obiit anno P. J. 3159. ante Chr. 1575. ex Petav. vid. etiam Voſſius de Orig. Idolol. 11. c. 3. & Huet. Demonſtr. Evang. Prop. 4.

2. Mercurius Triſmegiſtus, aut Hermes Ægyptius Moyſe antiquior. Ex Euſ. in Chron.

3. Moyſes natus eſt anno P. J. 3123. ante Chr. 1611. obiit anno P. J. 3243. ante Chr. 1491. ex Petav.

4. Linus Thebanus; Muſæus, & Orpheus Thrax paullo poſt tempora Moyſis floruere. Ex Clem. Alex. Strom. 1. vid. Huet. Demonſtr. Prop. 4. c. 3.

5. Sanchoniaton Phœnicius flor. ante bellum Trojanum ex Bocharto Geogr. lib. 2. c. 17. & Euſeb. 1. Præp.

6. Zoroaſtres Chaldæus flor. anno P. J. 3634. ex Stanlejo; cùm alii quinque Plinio memorati

ti lib. 30. c. 1. variis deinde temporibus floruerint.

7. Homerus natus est anno 168. post bellum Trojanum Hesiodo coævus ex Herod. in Hom. Agell. lib. 17. c. 21. & Clem. Strom. 1.

8. Periander Corinthius natus est anno 4. Olymp. 29. tyrannus fuit annis 44. obiitque anno 4. Olymp. 48. Arionis coævus ex Plutarch. in Sympos. 7.

9. Pittacus Mitylenæus flor. Olymp. 42. obiit anno 3. Olymp. 52. ex Laërt. 1. seg. 79.

10. Bias Prienæus illi coævus fuit.

11. Solon Atheniensis, quamvis ab aliquibus Salaminius dicatur. In patriâ prætor fuit anno 3. Olymp. 46. ex Laërt. & Plutarch. in *Solone*: obiit annos natus 80. anno 4. Olymp. 53. ex Plutarch. Epimenidem audivit ex Plutarcho in vitâ Solonis.

12. Cleobulus Lyndius Soloni synchronus.

13. Myson Chæniensis ex Laconiâ.

14. Chilo Lacedæmonius Olymp. 52. jam senex erat ex Laërt. 1. seg. 72. sed ad 56. pervenit ex Laërt. 1. seg. 68.

15. Anacharsis Scytha Athenas venit ann. 1. Olymp. 47. ex Laërt. 1. seg. 101.

16. Epimenides Cretensis Olymp. 46. venit Athenas. Laërt. 1. seg. 110.

17. Æsopus fabularum scriptor Olymp. 54. a Delphis occisus est ex Suida.

18. Phœrecides Syrus flor. circa Olymp. 60. ex Laërt. 1. seg. 121. atque ex Cicer. Servio Tullio regnante; unde malè in Meibomii versione legitur Olymp. 69.

19. Pindarus natus Olymp. 65.

20. Herodotus natus circa Olymp. 74. floruit annis 300. post U. C. ex Plin. lib. 12.
21. Osthanes Persa Xersi coævus circa Olymp. 75. Stanl.
22. Aristophanes Comicus circa Olymp. 86. flor.
23. Meto Atheniensis Astronomus flor. circa Olymp. 90. cùm anno 4. Olymp. 86. Solstitium observaverit. Ejus Cyclus, sive Aureus Numerus incœpit anno 1. Olymp. 87. P. J. 4282. die 16. Julii. A. C. 433.
24. Confusius Sinensis paullo antiquior Socrate ex Burnet. Archæol.
25. Xenophon obiit Corinthi anno 1. Olymp. 105. quo Philippus Macedo regnare cœpit, ex Laërt. lib. 2. seg. 56.
26. Eudoxus Gnidius floruit Olymp. 103. ex Laërt. 8. seg. 90.
27. Demetrius Phalereus, quem *doctrinâ nobilem, & clarum* vocat Cic. pro Rabir. Posth. Theophrasti auditor floruit sub Alexandro.
28. Timocharis Astronomus flor. circa Olymp. 121. ex Ptol. 7. c. 3.
29. Berosus Chaldæus flor. sub Alexandro, & Ptolemæo Philadelpho ex Tatiano apud Euseb. Præp. 10. c. 11.
30. Eratosthenes natus Olymp. 126. obiit annos natus 80. ex Suida, hoc est Olymp. 146.
31. Callimachus Cyrenensis floruit sub Philadelpho circa Olymp. 140.
32. Aratus Astronomus Phænomenωn scriptor floruit sub Antigono juniore, sive Gonata.
33. Hipparchus flor. circa Olymp. 150. cùm ejus prima observatio æquinoctii autumnalis contigerit anno U. C. 592. ex Ptolemæo.

34. En.

34. Ennius natus eſt anno U.C. 515. obiit anno U.C. 585. Cæpione, & Philippo Coſſ. ex Cic. de Seneſt.
35. Cicero natus eſt anno U. C. 648. die 3. Januarii ex Gell. 15. c. 28. Conſul fuit anno 691. obiit anno U.C. 711.
36. Diodorus Siculus Ciceroni coævus.
37. Lucretius natus eſt anno U.C. 656. anno 700. ſibi mortem conſcivit.
38. Geminus Mathematicus flor. circa Olymp. 175. annum U. C. 677.
39. Virgilius natus eſt anno U.C. 684. 15. Oct. obiit anno U.C. 734. ante Chr. 19.
40. Ovidius natus U.C. 711. obiit anno U.C. 770.
41. Horatius natus eſt anno U. C. 689. 8. Decemb. obiit anno U. C. 746.
42. Vitruvius ſub Julio Cæſare floruit.
43. Dionyſius Halicarnaſſæus floruit Auguſto regnante.
44. Philo Judæus ſub Cajo Caligula.
45. Seneca Neronis Præceptor, Cordubenſis.
46. Strabo ſub Tiberio.
47. Plinius ſenior obiit anno Chr. 80. anno 2. Titi.
48. Joſeph Judæus Antiquitates abſolvit anno Chr. 93. Domitiani 13. natus eſt autem anno Chr. 37. Caii Calig. 1.
49. Plutarchus Chæronenſis ſub Trajano floruit.
50. Ptolemæus Aſtronomus ſub Hadriano, & Antonino.
51. Phlegon Hadriani libertus, opus ſuum ad Olymp. 229. hoc eſt ad annum Chr. 137. deduxit.
52. Alexander Aphrodiſæus ſub Antonino, & Severo floruit.

53. Apulejus, & Lucianus circa annum Chr. 140. floruere.

54. Origenes Alexandrinus Clementis Alex. auditor nat. anno 185. obiit anno 254.

55. Lactantius Apher Arnobii auditor floruit sub Constantino Magno circa annum Chr. 320.

56. Augustinus natus est 13. Novemb. anno Chr. 354. ut ipse testatur libro *de vitâ beatâ*, & 1. *de Ord.* Conversus ann. 387. ex lib. 9. c. 2. *Confess.* Obiit anno Chr. 430. 1. Sept.

57. Thomas Aquinas natus anno 1225. obiit anno 1274.

58. Scotus natus est anno 1274. obiit anno 1308.

59. Okamus floruit sub Ludovico Bavaro circa annum 1360.

60. Copernicus natus est Torumnæ in Borussiâ die 19. Febr. 1473. Bononiæ studuit. Romæ docuit circa annum 1500. Systema edidit anno 1530. obiit Canonicus Warmiensis anno 1543. mense Majo.

61. Ticho Braheus natus in oppido avito Knudstorpii in Daniâ die 13. Decembris 1546. ut ipse testatur in lib. de Comet. obiit die 24. Octobr. 1601.

62. Galileus Galilei Florentinus natus Pisis die 18. Febr. 1563. obiit Florentiæ die 8. Januar. 1642.

63. Gassendus natus die 22. Januar. 1592. obiit Parisiis die 22. Octob. 1655.

64. Cartesius natus est Hagæ Turonum anno 1596. obiit Holmiæ in Sveciâ die 11. Febr. 1650.

IN

AS 7
The
& Th

J
N
C



IN PRIMAM

PHILOSOPHIÆ PARTEM SIVE LOGICAM

PRÆFATIO.



De origine, incremento, nomine, præstantiâ, objecto, naturâ, & partibus Logicæ.

I. AD ceteras Philosophiæ partes, ac disciplinas omnes rite, & feliciter comparandas aditum præbere, ac veluti facem præferre dicitur Logica *; illa nimirum *Sapientiæ pars, quæ per omnes Sapientiæ partes manat, ac funditur* (a), dum mentem ipsam, sive

(a) *Cic. Tusc.* 5.

* Præfert lumen Logica, per quod acies dirigatur ad verum. *Sen. epist.* 88.

five rationem, cui dirigendæ, ut ipsa vox sonat, est instituta, in inquirendæ Veritatis studio, ita dirigit, ut sine præclaro ejusmodi facultatis lumine Veritas ipsa gravissimis circumfusa tenebris videatur. Quod certè veteres illi, quos omnium primos cognitionis amor incendit, cùm attentiùs animo cogitarent, non solùm egregiis, divinisque laudibus Logicam illustrarunt, ut illam *Artem omnium artium maximam* dixerit Cicero (a), *Disciplinam disciplinarum* Augustinus (b), *modum scientiæ* Aristoteles (c) *; verùm etiàm cœlestem esse illius originem, nobilioremque quàm ut hominibus concedi posset, existimarent. Socrates certè disciplinam hanc esse voluit *Donum Deorum, quod ad homines per Prometheum unà cum quodam lucidissimo igne descenderit; etenim antiqui, qui nobis meliores, & Diis propiores fuere, hanc nobis famam prodidere* (d) *: nec immeritò fortasse plurimi suspicantur hanc artem esse, quâ Ulysses, ve-

(a) *In Bruto*. (b) *Lib. 3. de Ord. c. 13.* (c) *2. Metaph. 15.* (d) *Apud Platon. in Philebo*.

* Videtur doctrinis omnibus Dialectica velut apex esse præposita; nec ulla doctrina ulterius, ac eminentior reperiri; sed hic jam doctrinarum omnium esse finis. *Plato 7. de Republ.*

Differendi facultas ipsa nos facere non patietur, si quam aliam ipsi præferremus. *Plato in Philebo.*

* Quasi de Cœlo delapsa est ad cognitionem regula; ad quam omnium judicia diriguntur. *Cic. 2. de Fin.*

Deus verè quidam fuit, qui monstravit, & cœlitus misit Dialecticam hominibus. *Jamblyc. in epist. ad Dexip. apud Stob. serm. 79.*

veluti e Cœlo delapsâ Pallade regeretur, ut eleganter adeo de rebus differeret, humanosque affectus flecteret, ut verbis arma militi rapuerit; hanc ipsam denique Orpheo, Nestori, Soloni, Lycurgo, ceterisque legum latoribus adfuisse, ut dispersos homines in communem vitæ societatem adducerent, & efferos moribus informarent, quod Cicero (a) post Platonem (b) elegantissimè quidem, sed & invictissimè demonstravit.

II. Quod si non ex veterum Poëtarum testimoniis, quæ plerumque fabulis permixta, ac vitiata esse solent, sed ex purioribus, ingenuisque fontibus Logicæ originem inquiramus, optimo jure defendi poterit, divinam hanc facultatem humanæ menti, vel ab ipsâ mundi origine, maximo, & immortali munere concessam fuisse: ut quemadmodum homini ad sapientissimi Artificis imaginem efformato Rationis vis indita fuit, quâ a ceteris animalibus rationis expertibus distingueretur; ita quoque pulcherrimum Rationalis Disciplinæ lumen illi statim affulserit. Quid enim aliud innumera Scripturarum loca demonstrant, quibus apertè erudimur, quod *Deus creavit hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum; creavit ex ipso adjutorium simile sibi; consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi; & disciplinâ intellectûs replevit illos* (c); *creavit illis scientiam spiritûs, sensu implevit cor illorum, &c.* nisi quod unà cum ceteris Philosophiæ parti-

(a) 1. *de Orat.* (b) *Plato in Protag.* (c) *Ecclesiast. vers. 6. &c.*

tibus illa quoque Adamo concessa fuerit, quâ de cognitis, & incognitis rebus differitur, quæque cùm intellectum, & mentis cogitationes ad verum dirigat Ars *cogitandi*, scientia *Rationis*, vel *Intellectûs* vocatur?

III. Quin etiam plurimi in subdolâ serpentis argumentatione, in mulieris responsione, in callidâ evasione, quâ uterque parens violati præcepti caussas effingere, patratique sceleris labem extenuare, diluere, atque in serpentem ipsum conjicere nitebantur, aliisque pluribus Scripturarum locis frequentem ejusmodi facultatis usum, indicia, ac veluti scintillas intueri se gloriantur. Ac dubitare certè non possumus quin ab ipsâ mundi origine homines, dum inter se mutuò de divinis, humanisque rebus differerent, erroresque plurimos in differendo admitti observarent, præcepta quædam non adhibuerint, quibus aliquid unum ex alio rite posset inferri, & quorum ope, veluti lydio lapide, veras a falsis, utiles ab inutilibus animi cogitationibus sejungerent *; quod præsertim ex antiquissimâ Jobi historiâ manifestissimè ostenditur, in quâ plurimi inter se differentes inducuntur, atque ita ex ipsis Logicæ regulis argumentari, objecta diluere, retorquere videntur, ut certè

* Homines enim, sicut in medicinâ, cùm viderent alia salubria, alia insalubria, ex observatione eorum effecerunt artem; ita, cùm in dicendo, alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum, vitandumque: & quædam secundùm rationem eorum adjecerunt ipsi quoque. Hæcque confirmata sunt usu, tum quæ sciebat quisque docebat. *Quintil. Instit. lib. 3. c. 2.*

tè oportuerit, non rudem, aut imperfectam; sed plenam ferè, perfectamque hujus facultatis artem apud Arabes, aliosque populos floruisse. Quemadmodum certè ex ipsâ Scripturarum authoritate compertum est apud Ebræos maximam Sapientiæ partem, quâ pueri erudiebantur, in solis Logicæ, sive Dialecticæ præceptis, atque in dissolvendis ænigmatum, & parabolarum fallaciis positam fuisse. Putabant enim illorum animos ita disponi *ad sciendam sapientiam, & disciplinam, ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus: ut animadvertat parabolam, & interpretationem, verba Sapientum, & ænigmata eorum* (a): *occulta proverbiorum exquirat, & in versutias parabolarum introëat* (b); *sciat versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum* (c).

IV. Verum quid hìc plura commemorem, cùm ex ipsâ Logicæ præstantiâ, ac necessitate invictissimè demonstretur Logicam ipsam apud singulas nationes ab antiquissimis usque temporibus floruisse? Certè si qua numerorum, siderum, morum, rerum divinarum, humanarumque cognitio apud omnes extitit; ut alibi demonstravimus, ipsam quoque Logicam apud illos floruisse necesse est, sine quâ ceteræ cognitiones haberi non possunt. Quidquid itaque Pythagoras de rerum naturâ, sive de Mathematicis; quidquid VII. Græciæ Sapientes de moribus; quidquid Architas de arenæ numero; quidquid Assyrii de perenni siderum motu, ac periodo; quidquid alii Sapientes omnes de singulis disciplina-

rum

(a) *Proverb. c.* 1. *vers.* 4. *&c.* (b) *Eccles. c.* 39. *vers.* 2. (c) *Sapient. c.* 8. *vers.* 8.

rum generibus meditati sunt, argumento esse poterit Logicam ipsam cum ceteris artibus extitisse, cùm illa sinè Logicæ lumine fieri, vel excogitari non possent.

V. In hac tamen perenni temporum serie, quâ Logicam ubique gentium floruisse diximus, primus, qui illam accuratiùs tractaverit, ac illius præcepta scriptis ediderit, fertur Zeno Eleates (a); qui cum Athenas venisset, librumque, quem de variis Logicæ præceptis conscripserat, Socrati legisset, tanti fuit habitus, ut eadem præcepta Socrates adhibuerit, nec alia ferè Plato in Parmenide, ac Theætheto complexus fuerit, ut auctor est Proclus (b), quàm quæ Socrates a Zenone, & a Socrate Plato didicerat; quæ cùm uberius deindè Plato auxerit, & illustraverit, Logicæ inventor ab aliquibus existimatur (c). Zenonis, Platonis, aliorumque gloriam sequuti, vel æmulati sunt Euclides Megarensis, Speusippus, Heraclides, Eubulides, Zeno Stoicus, ejusque auditor Chrysippus, Carneades, aliique innumeri, qui Logicæ studium novis etiam editis legibus illustrarunt; omnium tamen diligentiam, omniumque laudem longissimè superavit Aristoteles, qui singulas Logicæ partes, eleganter adeo, copiosè, accuratèque disposuit, ut Logicæ inventor, de quo gloriari, & ipse consueverat (d), a compluribus (e) haberetur.

VI. Porrò non eadem apud omnes doctrinæ ratio, neque disciplinæ methodus fuit; compertum

(a) *Ex Plat. in Parmen. & Laërt. 9. seg. 25.* (b) *Comment. 5. l. 3.* (c) *Laërt. 3. seg. 56.* (d) *2. Elenchor.* (e) *Averroës Proëm. Phys.*

tum ſiquidem eſt, Zenonem, Euclidem, Platonicos, Ariſtotelem in explicandis Logicæ regulis varias iniiſſe vias, ut proinde Megarica, Eleatica, Platonica, Stoica, Peripatetica Logica, ex eodem veluti fonte manaverint; quod Recentioribus quoque Philoſophis ita placuit, ut aliam ferè Logicam Verulamius, aliam Raimundus Lullius, aliam Petrus Ramus, aliam Malebranchius, aliam Lokius, aliam Arnaldus, aliam Gaſſendus, aliam Carteſius invexerint; quarum tamen diſcrimina, & leges hìc ordine recenſere, nec locus ipſe jam patitur, nec plurimùm fortaſſe deceat. Qui plura deſiderat Gaſſendum, Stanlejum, alioſque plures adire poterit, qui hæc ſingula Dialecticæ genera, & exempla accuratiſſimè ſunt proſequuti.

VII. Id unum potiùs hìc addi poterit, Logicam partim ex variâ methodo, quâ a variis Philoſophis pertractari conſueverat, partim etiam ex variis muneribus, quæ in diſciplinis omnibus comparandis obire ſolet, varia quoque nomina obtinuiſſe. Quemadmodum enim Logica, vel Rationalis facultas ab Ariſtotele (a) ſæpius, Platone (b), Plutarcho (c) vocatur, quòd mentem ipſam, vel rationem dirigit; ſic Dialecticæ nomen accepit, *quòd ſermones ad interrogationem, reſponſionemque diſponeret*, undè etiam *diſceptatrix* a Cicerone (d), vel *diſputatrix* a Quintiliano (e) appellatur; *Canonem*, ſive *Canonicam* vocant Epicurei, quòd illa *canones*, ſive *regulas* diſſerendi, inquirendæque Veritatis propo- [illegible] nat;

(a) 1. *Top.* 12. 1. *Analyt. Prior. vid. Boët. in Top. Cicer.* (b) *Vid. Theath.* & *Alcibiad.* 1. (c) *Lib.* 1. *de Plac.* 1. (d) 4. *Academ.* (e) *Lib.* 2. *Inſtit. cap.* 2.

nat; honorificentiùs denique ab Ariſtotele (a), ac Peripateticis *Organum*, *Inſtrumentum*, *Janua Scientiarum* vocatur, quòd ad Scientias omnes acquirendas adeo neceſſaria ſit, ut ſinè illius ope, ac ſplendore nulla propemodum comparari poſſit.

VIII. Quod ut accuratiùs intelligi, defendique poſſit, notari maximè debet, ex veteri ſcholarum more Logicam dividi in Naturalem, & Artificialem; Logica naturalis eſt illa vis, & facultas, ſive principium illud inferendi unum ex alio, quod ab ipsâ naturâ, vel ab auctore naturæ Deo hominum mentibus impreſſum fuit, ut eleganter inquit Propheta: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine* (b); atque alio, clariorique nomine, *Ratio*, *Rationiſque lumen* vocatur. Artificialis autem eſt illa facultas, quæ ſtudio, labore, certiſque legibus, ac præceptis, aliarum artium inſtar, acquiritur. Logicam itaque naturalem, ſive Rationis lumen ad Scientias, & diſciplinas omnes comparandas abſolutè, ſimpliciter, omnino requiri, communis eſt Philoſophorum omnium opinio, cùm ſinè rationis lumine nulla cognitio poſſit acquiri; alteram verò ad Scientias omnes in ſtatu perfecto acquirendas neceſſariam eſſe plurimi exiſtimarunt, quòd hominum mens poſt primi parentis peccatum innumeris, graviſſimiſque tenebris circumfuſa fuerit; quòd ingenii vires in difficilioribus rebus languere propemodum videantur; quòd denique pulcherrimum rationis lumen ita rerum obſcuritate extinctum ferè ſit, ut ſinè quadam ar-

(a) 1. *Prior. c.* 30. & 1. *Topic. c.* 11. (b) *Pſalm.* 4.

arte; certisque legibus Veritatem inquirere, vera a falsis, certa ab incertis sejungere nequeat: præsertim si longa syllogismorum series adhibenda sit, qualis certè plerumque requiritur; ut obscurior aliqua veritas ostendatur, & argumenta singula, quæ opponi possunt, diluantur, atque adeo Scientia in statu perfecto comparari dicatur. Quemadmodum itaque ab ipsâ naturâ, vim, facultatemque recepimus operandi, operis tamen perfectio ab artibus est repetenda, quod in Picturâ, Eloquentiâ, Poësi, ceterisque omnibus facilè demonstratur *, ita quoque res intelligere, aliquid ex alio inferre naturâ duce didicimus; id verò perfectè, rite, feliciter expedire, sive præstare non possumus, sinè legibus illis, quas ab arte Dialecticâ accepimus. Accedit etiam, ut olim Galenus contra Erasistratum optimè argumentabatur, quod ex quolibet principio, quodlibet aliud inferri non potest (alioquin, ex eo quod nix est alba, corvus verò niger, inferri etiam posset Erasistratum esse stultum), adeoque necessaria erit illa facultas, quæ doceat quando unum ex alio possit inferri, & quando non possit; ejusmodi verò facultas sola Logica naturalis esse non potest, cùm in difficilioribus, obscurioribusque rebus illa nos deserat, artificialis igitur esse debebit, quæ præceptis, exercitatione, certisque legibus acquiratur. Sed egregiam hanc Logicæ utilitatem,

 eo

* Quod etsi ingeniis magnis prædiri quidam dicendi copiam, sive rationem consequuntur, Ars tamen est dux certior, quàm Natura; aliud est enim poëtarum more verba fundere, aliud ea, quæ dicas, ratione, & arte distinguere, &c. *Cic. Tusc.* 4.

nat; honorificentiùs denique ab Ariſtotele (a), ac Peripateticis *Organum*, *Inſtrumentum*, *Janua Scientiarum* vocatur, quòd ad Scientias omnes acquirendas adeo neceſſaria ſit, ut ſinè illius ope, ac ſplendore nulla propemodum comparari poſſit.

VIII. Quod ut accuratiùs intelligi, defendique poſſit, notari maximè debet, ex veteri ſcholarum more Logicam dividi in Naturalem, & Artificialem; Logica naturalis eſt illa vis, & facultas, ſive principium illud inferendi unum ex alio, quod ab ipsâ naturâ, vel ab auctore naturæ Deo hominum mentibus impreſſum fuit, ut eleganter inquit Propheta: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine* (b); atque alio, clariorique nomine, *Ratio*, *Rationiſque lumen* vocatur. Artificialis autem eſt illa facultas, quæ ſtudio, labore, certiſque legibus, ac præceptis, aliarum artium inſtar, acquiritur. Logicam itaque naturalem, ſive Rationis lumen ad Scientias, & diſciplinas omnes comparandas abſolutè, ſimpliciter, omnino requiri, communis eſt Philoſophorum omnium opinio, cùm ſinè rationis lumine nulla cognitio poſſit acquiri; alteram verò ad Scientias omnes in ſtatu perfecto acquirendas neceſſariam eſſe plurimi exiſtimarunt, quòd hominum mens poſt primi parentis peccatum innumeris, graviſſimiſque tenebris circumfuſa fuerit; quòd ingenii vires in difficilioribus rebus languere propemodum videantur; quòd denique pulcherrimum rationis lumen ità rerum obſcuritate extinctum ferè ſit, ut ſinè quadam ar-

(a) 1. *Prior. c.* 30. & 1. *Topic. c.* 11. (b) *Pſalm.* 4.

arte, certisque legibus Veritatem inquirere, vera a falsis, certa ab incertis sejungere nequeat: præsertim si longa syllogismorum series adhibenda sit, qualis certè plerumque requiritur, ut obscurior aliqua veritas ostendatur, & argumenta singula, quæ opponi possunt, diluantur, atque adeo Scientia in statu perfecto comparari dicatur. Quemadmodum itaque ab ipsâ naturâ, vim, facultatemque recepimus operandi, operis tamen perfectio ab artibus est repetenda, quod in Picturâ, Eloquentiâ, Poësi, ceterisque omnibus facilè demonstratur *, ita quoque res intelligere, aliquid ex alio inferre naturâ duce didicimus; id verò perfectè, rite, feliciter expedire, sive præstare non possumus, finè legibus illis, quas ab arte Dialecticâ accepimus. Accedit etiam, ut olim Galenus contra Erasistratum optimè argumentabatur, quod ex quolibet principio, quodlibet aliud inferri non potest (alioquin, ex eo quod nix est alba, corvus verò niger, inferri etiam posset Erasistratum esse stultum), adeoque necessaria erit illa facultas, quæ doceat quando unum ex alio possit inferri, & quando non possit; ejusmodi verò facultas sola Logica naturalis esse non potest, cùm in difficilioribus, obscurioribusque rebus illa nos deserat, artificialis igitur esse debebit, quæ præceptis, exercitatione, certisque legibus acquiratur. Sed egregiam hanc Logicæ utilitatem,

 eo

* Quod etsi ingeniis magnis prædíti quidam dicendi copiam, sive rationem consequuntur, Ars tamen est dux certior, quàm Natura; aliud est enim poëtarum more verba fundere, aliud ea, quæ dicas, ratione, & arte distinguere, &c. *Cic. Tusc.* 4.

eo præsertim loco (a) ostendemus, ubi varios illustriorum quoque Philosophorum errores, illorumque originem recensendo palam facturi sumus, quàm sinè hujus præstantissimæ facultatis lumine prona sit ad errores hominum mens, quàm facilè decipi, illudique consueverit, quàm denique eleganter, & verè dixerit Cicero (b) Logicam *habere rationem, ne cui falsò assentiamur, neque unquam captiosâ probabilitate fallamur; & sinè hac quemvis a vero abduci, fallique posse* *; quod olim Socratem monuit Parmenides *Præclarus*, inquiens, *& divinus est impetus, quo raperis ad Scientias; sed priùs exerce te, dum juvenis es, in eâ facultate, quæ multis inutilis videtur, atque etiam garrulitas vocatur; alioquin veritas te effugiet* (c).

IX. Interim verò admonere par fuerit Mathematicas disciplinas esse ex aliarum numero eximendas, quippe quæ sinè Logicæ facultatis lumine possint acquiri: quod uberrimè demonstratur non solùm ex veteri consuetudine, quam a Pythagora, & a Platone jam usurpatam nostris etiam temporibus summo sapientum consensu florere conspicimus, ut ante Logicam Pueri Geo-

(a) 4. *Part. c.* 3. 4. (b) 3. *de Fin.* (c) *Apud Platon. in Parmen.*

* Ceterùm absque Dialecticæ speculatione Sapientem in oratione sinè lapsu non futurum *dicebant Stoici*. Quippe ex eâ dignosci verum, atque falsum, probabile autem, & quod ambiguè dicatur, dijudicari. Eâ remotâ jam non licere rite interrogare, atque respondere. Neque aliter acutum, & ingeniosum, cautumque omnino in dicendo & fore, & visum iri Sapientem. *Laërt.* 7. *seg.* 46.

Geometrica doceantur; verùm etiam ex admirabili rerum ordine, quo a facilioribus ad difficiliora, a clarioribus ad obscuriora paullatim ascenditur; ut una proinde veritas ad aliam sibi arctissimè connexam lumen præferat, ac veluti manu ducat: quo certè fieri oportuit, ut cùm veteres omnes Philosophi ex Logicæ defectu sæpissimè erraverint, quod est ab Aristotele, aliisque compluribus observatum, de Mathematicis tamen id effingi non possit. Quin etiam de pulcherrimo hoc Logicæ studio præclarè meriti videntur illi, qui ejus leges, ac methodum ex ipsis Geometriæ fontibus, ac lumine derivarunt, cùm Mathematicæ disciplinæ sint ad *eruditionem via* (a), *attollantque animum ad Veritatem, atque ita ad philosophandum præparent cogitationem* (b); ut optimè proindè Plato illos abire jusserit, & Academiâ prohibuerit, qui geometricum antea pulverem non attigissent *.

X. Illud est etiam ingenuè fatendum, Logicam hanc, quam tantopere necessariam diximus, non magis præceptis, ac legibus, quàm attentâ quadam animi consideratione, quâ se, suasque cogitationes ad examen accuratissimè revocat, contineri; quemadmodum etiam neque Logica ipsa perfectè tradi, neque intellectus perfectè dirigi posse videtur, nisi plurimam ex Physicis, ac Metaphysicis etiam lucem acceperit. Quî enim, ut cetera omittam, mentis cogitationes perfectè dirigi possint, nisi modus il-

 le

(a) *Plato in Timæo*. (b) *Idem 7. de Rep.*

* Quinetiam scimus ad disciplinas omnes faciliùs perdiscendas interesse omnino, attigeritne Geometriam aliquis, an non. *Plato 7. de Republ.*

le cognoscatur, quo in nobis illæ fiunt; aut illorum vitia, erroresque deprehendi, nisi quæstiones illæ probè perspectæ fuerint, in quibus intellectus plerumque labi consueverit? Atque hac fortasse de caussâ factum putaverim, quod Posidonius, Panætius, aliique plurimi (a) Sapientiæ studium a Physicis incipiendum existimaverint. Verùm eadem semper, atque etiam major difficultas alterâ ex parte rediret, ut illustriores Philosophi observarunt; multòque difficilius foret Physicam, vel Moralem addiscere antequam disserendi facultas addisceretur. Logicam itaque ante ceteras disciplinas omnes explicandam suscipimus, cùm illa ceteris omnibus rite, ac feliciter in statu perfecto acquirendis necessaria sit, ut paullo superiùs ostendimus; neque aliâ certè de caussâ fuerit instituta, nisi ut illius ope mentis operationes, quibus in ceteris facultatibus acquirendis utimur, ad verum dirigi possent.

XI. Quod ut illustriùs adhuc appareat, atque celebris illa quæstio de objecto Logicæ dirimatur, quæ tanto sententiarum, opinionumque dissidio scholasticorum ingenia exercuit, illud in primis observari poterit, quod ex communi Philosophorum omnium consensu objectum alicujus potentiæ, facultatis, habitûs, artis, scientiæ dicitur illud, quod eidem arti, vel scientiæ considerandum proponitur, sive *objicitur*, hoc est illa res, circa quam tota facultas illa versatur, quemadmodum ars Picturæ circa colores, illorumque dispositionem; potentia visûs cir-

(a) *Apud Laërt. in Zenone 7. seg. 41.*

circa colores ipsos percipiendos; medicina circa animalis sanitatem. Cùm itaque Logica, ut ex illius caussâ, & origine paullo superiùs expositâ demonstratur, nonnisi mentis operationes consideret, illarumque vim, naturam, vitia, proprietates omnes accuratissimè contempletur, necessarium est, ut operationes ejusmodi veluti objectum Logicæ habeantur: hac tamen lege, & discrimine, ut operationes ipsæ, quæ considerantur, vel diriguntur a Logicâ, illius subjectum, vel objectum materiale vocentur; ipsa vero operationum directio, quæ præcisè, ac principaliter in operationibus ipsis inquiritur, & consideratur a Logicâ, objectum formale; eodem ferè ordine, & ratione, quâ Moralis, cùm humanis actibus ad honestatem dirigendis inserviat, eosdem voluntatis actus veluti objectum materiale considerat, & illorum ordinem, ac rectitudinem quasi formale objectum contemplatur; ut omnem proinde finem Logica attigisse, vel fructum omnem consequuta censeri debeat, cum mentis cogitationes ad verum direxerit, nihilque ab intellectu fieri, vel excogitari patiatur, quod illa proprio veluti lumine non illustret.

XII. Exinde verò facilè intelligi poterit, quàm immeritò, atque inutiliter inquiratur, an Logica practicæ facultatis, sive potiùs speculativæ nomen mereatur. Si etenim practicæ facultatis nomine habitus ille intelligitur, qui ad opus aliquod, qualecunque demum sit, ordinatur, Logica certè practica dici debet, cùm syllogismos, definitiones, ceteraque id genus opera mentis conficiat. Si verò practica facultas dicatur illa, quæ nonnisi ad aliquod opus extra

 in-

intellectum dirigitur, quod certè verisimiliùs cum D. Thoma, Aristotele *, aliisque defendi poterit (*Intellectus* enim, ut est commune Philosophorum effatum, *extensione fit practicus*), hanc utique laudem meretur Logica, ut ceteris speculativis habitibus accenseatur; cùm semper ad unius intellectûs opera, sive varia cogitationis, vel speculationis genera dirigatur.

XIII. Quandoquidem verò Logica non solùm leges, atque præcepta tradere debet, quibus mentis acies dirigatur ad verum, sed illis etiam uti consuevit, dum in inquirendâ veritate, vel ceteris disciplinis comparandis, res definire, dividere, vel argumentari contigerit; hinc optimè, meritòque factum est, ut illa veteri, ac celeberrimâ divisione in *Docentem*, ac *Utentem* distincta fuerit: non quòd duplex habitus, sive facultas haberi debeat, cùm ejusmodi præceptorum usus, atque doctrina arctissimè inter se conjungantur; sed quòd distincta solùm ejusdem facultatis munera censeri possint, ut amor, quo diligimus Deum, & amor, quo diligimus proximum, sunt duo munera ejusdem charitatis; cùmque inseparabiles, arctissimèque conjuncti sint, ad eandem virtutem pertinent.

XIV. Neque in ceteris solùm disciplinis omnibus rite, ac feliciter comparandis rationes, & argumenta suppeditat Logica, quibus illarum veritas ostendatur; verùm etiam dum leges ipsas atque præcepta propria exponit, iisdem utitur; nihilque proponit, quod evidenter, & accuratè non

---

* Finis speculativæ veritas, finis practicæ opus. *etaph. tex.* 3.

non demonſtret. Sic ubi dixerit in ſyllogiſmo tres voces, totidemque propoſitiones eſſe oportere: ſyllogiſmum ex tribus negativis compoſitum nihil concludere, rationem quoque ſtatim apponit, & ex primis cognitionis noſtræ principiis, ejuſmodi legum bonitatem oſtendit. Cùm itaque regularum bonitas, & alia plurima, certò, ac evidenter in Logicâ demonſtrentur, neceſſarium eſt, ut ceteras inter Scientias, ſive cognitiones veras, ac evidentes enumeretur; cum Scientiæ nomine nihil aliud intelligi debeat, ut oſtendetur alibi, quàm *cognitio certa, & evidens;* ſive *cognitio rei per cauſſas;* ſive denique *cognitio per demonſtrationem acquiſita*. Perinde eſt tamen an ſimul Ars, & Scientia nominetur, quòd non ſolùm aliquid evidenter oſtendat, ſed artium inſtar præcepta tradat, aliquid operetur, plurima incerta contineat, ceteriſque nobilioribus Scientiis velut organum, & inſtrumentum inſerviat, ut Ariſtoteles, ejuſque egregius interpres D. Thomas animadvertere, qui illam partim inter Scientias, partim quoque inter Artes enumerant, liberales tamen, hoc eſt quæ a liberis, & ingenuis hominibus excolantur. Quodſi ex veteri effato rerum denominatio non a majori fortaſſe numero, vel ab aliquâ illarum parte, ſed a potiori, nobiliorique deſumenda ſit, Logica ipſa Scientia Rationalis optimè inſcribi poterit, quemadmodum a Cicerone vocatur *differendi ratio, & ſcientia; ex quâ cùm ſumma utilitas exiſtit ad res ponderandas, tum maximè ingenua delectatio, & digna Sapiente* (a).

 XV. At-

(a) *Cic. Tuſc. 5.*

XV. Atque hactenus quidem rationalis hujus disciplinæ originem, præstantiam, ac naturam, nisi pro rei dignitate, atque ex receptâ scholæ consuetudine, quoad certè licuit, explicavimus. Reliquum est, ut illius partes, atque universam operis nostri methodum ostendamus. Quod neque fieri meliùs, neque divisio Logicæ commodiùs aliunde repeti poterit, quàm ex ipso munere, fine, objecto Logicæ, quod paullo superiùs exposuimus. Cùm itaque Logica ad omnes mentis operationes dirigendas unicè instituta fuerit, atque directionem ipsam, vel dirigibilitatem, veluti formale objectum respiciat, necessariò fit, ut totidem in ipsâ partes distingui debeant, quot mentis operationes enumerantur, ut nulla proinde sit mentis operatio, quæ non ab aliquâ distinctâ Logicæ Parte dirigatur. Quatuor verò Mentis operationes a Philosophis optimè distingui solent, quæ non solùm *Cogitatione*, quasi communi quodam genere continentur, verùm etiam communi *Cogitationis* nomine designantur. Intellectus enim dum aliquid operatur, hoc est cogitat, aut aliquid simpliciter percipit, apprehendit, nihil de illo affirmando, vel negando, ut dum concipimus florem, Deum, &c. & hæc operatio *simplex Apprehensio*, *vel Perceptio*, *Conceptus formalis* dicitur; quemadmodum conceptus ille, species, imago, quæ in nobis ipsis efformatur, ac veluti depingitur, simplicibusque Vocibus exprimitur *Idea*, vel *Conceptus objectivus* vocatur. Vel intellectus de re simpliciter apprehensâ, jam conceptâ judicat, aliquid affirmando, vel negando de illâ; hoc est Ideam aliquam cum al-

alterâ conjungit, vel ab illâ separat, & sejungit, ut si concepto flore, & albedine, ideam floris, & albedinis conjungimus, vel separamus dicendo florem esse, vel non esse album; hæc secunda Mentis operatio *Judicium* vocatur, quod Enunciatione, sive Propositione exprimitur. Vel denique judicium aliquod ex uno, vel pluribus aliis judiciis antea formatis ab intellectu deducitur, elicitur, infertur, ut cum ex eo quod judicaverimus florem esse album, atque omne album delectare visum, inferimus florem delectare visum: hæc operatio dicitur *Ratiocinatio*; sive *Discursus*; qui per Argumentationes exponitur, & explicatur. Quia verò ad veritatem aliquam inveniendam, vel ceteris, ubi inventa fuerit, ostendendam plurimæ Ideæ, Judicia plurima, ac plurimi Discursus componi debent, in quibus plerumque maxima obscuritas, & confusio, errores, atque fallaciæ reperirentur, quarta Mentis operatio a pluribus adjungi solet, quæ hæc omnia rite disponat, vitia, quæ obrepere possent, detegat, & effugiat, atque ad propositam, seu quæsitam veritatem omnia dirigat; unde etiam *Methodi* nomen obtinuit.

Cùm itaque Logicæ sit leges, & præcepta tradere, quibus optimè apprehendere, judicare, discurrere, disponere possimus, hoc est singulas Mentis operationes, Apprehensionem, Judicium, Discursum, Methodum dirigere, atque omnia simul complecti, & exponere, quæ ad operationes illas aliquâ ratione spectare poterunt, manifestissimè apparet cur Logica in quatuor partes divisa, sive distincta fuerit, quarum prima de Perceptione, Ideis, & Vocibus dissE-

rat;

rat; altera de Judicio, ac Propositione; tertia de Discursu, & Argumentatione; quarta denique, & postrema de Methodo.

XVI. Quæ quidem divisio, sive Logicæ pertractandæ ratio, nihil propemodum ab illâ differt, quam Aristoteles ipse, ejusque interpretes iniere. Is etenim sexdecim libros Logicorum ita dispofuit, ut

1. Libro Categoriarum ea omnia complexus fuerit, quæ ad Perceptionem pertinent.

2. Perihermenias, sive de Interpretatione, Enunciatione, vel Propositione, quæ ad Judicium.

3. Analyticorum Priorum de Syllogismo in communi.

4. Analyticorum Posteriorum de Syllogismo demonstrativo, sive Demonstratione.

8. Topicorum de Syllogismo probabili, ac locis Topicis.

2. Elenchorum de Fallaciis Sophistarum, Vitiis, ac Methodo Discursûs, &c. qui duo libri in unum contrahi, vel confundi solent.



LOGI-



LOGICÆ

PARS PRIMA.



De Perceptione, Ideis, & Vocibus.



Ingulas Logicæ Partes ordine superiùs expoſito traditurі, ab illâ mentis operatione vel dirigendâ, vel explicandâ nunc exordimur, quæ ſimplicis Apprehenſionis, vel Perceptionis nomen obtinuit, & a Philoſophis optimè definitur: *Mentis operatio, quâ nos aliquid ſimpliciter apprehendimus, ſive concipimus, nihil affirmando, vel negando.*

Quandoquidem verò nos experimur, quod dum aliquid a mente noſtrâ concipitur, illius imago, & accurata ſpecies in nobis formatur, ac ferè depingitur, quam deinde vocibus exprimere, & aliis oſtendere conſuevimus; in hac primâ Logicæ Parte ſimul hæc omnia complectemur, atque de Perceptione ipsâ, de rerum imaginibus, vel Ideis, atque de Vocibus meliori, quo poterit, ordine diſſeremus, ut horum omnium natura, origo, varietas, uſus, errores accuratiſſimè demonſtrentur.

GA-

CAPUT PRIMUM.

De variâ Perceptionis specie, & origine.

I. Quæ de variâ Perceptionis naturâ, & origine dicturi nunc sumus partim clarissima sunt, ut illustriùs explicari vix possint, partim etiam gravissimis difficultatibus circumfusa, & obscuris adeo quæstionibus illigata, ut illarum cognitio ex Physicâ, vel Metaphysicâ pendere propemodum videatur. Nos itaque, ne singulas Philosophiæ Partes temere perturbemus, nihilque tamèn alterâ ex parte optari patiamur, ex quo huic pulcherrimæ Facultati lux aliqua accedat, hæc omnia quidem in suis locis fusè, opportunè, & quoad fieri poterit, accuratè tractabimus, aliqua tamen hìc obiter exponemus, quæ in explicandâ Perceptionis naturâ, & origine, magis utilia, vel necessaria putabimus; præsertim verò prima veluti cognitionis nostræ rudimenta contemplabimur, ut inde clariùs effulgeat, quo facultatum ordine, serie, varietate pulcherrima tandem rerum cognitio ab intellectu nostro comparetur. Cùmque veteres, recentioresque Philosophi in explicandis istis diffideant, hanc nos methodum adhibebimus, ut certa ab incertis, ambigua ab exploratis sejungentes, nunc illa tantummodo conplectamur, unde necessaria cognitio, non confusio, vel ambiguitas oriatur.

II. Illud itaque certum, ac exploratum esse supponimus, quod plurima a nobis ita concipiuntur, ut aliqua rei perceptæ species, & imago

go in nobis efformetur, ac veluti accuratissimè depingatur; & quemadmodum ferè dum flos ante speculum ponitur pulcherrima, simillima, perfectissima floris imago, suis distincta coloribus in ipsâ speculi superficie dipingitur; ita quoque dum res, & objectum aliquod sensibus nostris obversatur, ejusdem objecti species, & imago per sensus ingressa, in cerebro imprimatur, nobisque cogitantibus rem, & objectum ipsum exhibeat. Id intelligere certè, vel experiri facilè possumus, dum florem, lapidem, aurum concipimus, ut innumeras alias observationes omittamus, quas alibi fusiùs afferemus. Nihil est tamen, quo clariùs, & uberiùs id ostendatur, quàm admirabilis illa varietas, ordo, connexio imaginum, quæ ferè incredibilis, somni tempore in nobis ipsis excitatur. Neque enim aliâ de causâ somniando plurima remota, dissidentia percipimus, & ludicrâ quadam arte simul conjungimus, nisi quòd illorum omnium imagines, quæ per oculos, aures, ceterosque sensus vigiliæ tempore ingressæ fuerant, in cerebro impressæ, ac ferè depictæ remanent, donec iterum somni tempore, quo sensus omnes placidâ quiete fruuntur, atque a nullâ sensibilis, & exterioris objecti imagine perturbantur, imagines illæ excitentur, & ab aliquâ vi facultate, sive potentiâ, vel animâ concipiantur.

III. Illud etiam veluti certum, & experimento facilè probatum haberi poterit, quod alia purior, longèque nobilior Perceptionis vis in homine reperitur, quâ sic ab illo plurima concipiuntur, ut hæc a nullâ corporeâ, sensibili imagine exprimantur: quin etiam rite, vel accu-

curatè percipi nequeant, nisi priùs ab omni corporeâ imagine sejùncta fuerint, ut cum veritatem, pulchritudinem, tempus, Deum concipimus nulla sensibilis imago efformatur, quæ hæc objecta nobis exhibeat. Prior illa percipiendi vis, & facultas, quâ res, & objectum aliquod ita concipitur, ut illius imago intra nos efformetur, depingatur, imprimatur, vel si antea impressa, depicta, vel efformata fuerit, excitetur *Imaginatrix*, *Phantasia* vocatur, & illius operatio, vel percipiendi modus *Imaginatio* dicitur; ac imagines illæ, quæ in nobis impressæ, depictæ, efformatæ, vel excitatæ fuerint, *phantasmata*, *spectra*, *idola*, *sensibiles ideæ* appellantur.

Altera verò nobilior, atque perfectior percipiendi vis, aut facultas, quâ nimirum sinè corporeo phantasmate res, & objectum concipimus, *mens*, *intellectus* vocatur, & ejusmodi percipiendi modus, aut hujus facultatis operatio, *intellectio pura*, sive simpliciter *Perceptio* dicitur; imagines autem illæ *conceptus*, & *Ideæ* nuncupantur.

IV. Ac plurimi certè sunt, qui duas ejusmodi percipiendi vires adeo inter se differre arbitrantur, ut illas non ex uno, sed ex variis, diversisque fontibus, atque principiis repetendas esse opinentur. Existimant enim, quod Imaginatrix, vel Phantasia sit corporea quædam facultas, quâ nonnisi res simpliciter, omnino corporeas percipiamus: illamque non modò pueris, somniantibus, & amentibus, qui res abstractas, & incorporeas concipere nequeunt, inesse putant; verùm etiam Brutis ipsis concedunt, quòd
illa

illa verè ſentire, res, & objecta percipere exiſtimentur; mentem verò, vel intellectum ſoli homini ad imaginem Dei facto, ita impreſſum, Deique munere conceſſum volunt, ut cùm ille ſenſus omnes, cognitionemque corpoream cum Brutis communem habeat, ſolo rationis lumine, nobiliorique percipiendi modo, ſeu facultate a Brutis omnibus diſtinguatur. ...

Alii vero unam, eamdemque vim, & facultatem eſſe arbitrantur, quæ aliquando rem, & objectum aliquod in corporeo phantaſmate, ſive ſenſibili ſpecie, & imagine contempletur, unde *Imaginatrix*, vel *Phantaſia* dicatur; & aliquando objecta ab omni corporeo phantaſmate, ſive ſenſibili imagine ſeparata percipiat, unde *Intellectus* vocetur; cùmque cognitionem omnem, vel Perceptionem a ſolâ mente oriri poſſe opinentur, omnem Brutis cognitionem adimunt, nullumque corporeum principium, vim, facultatem admittunt, quo pueri, amentes, ebrii corporeas, & ſenſibiles res percipiant. Ita verò duplicem illum percipiendi modum, vel duo Perceptionum genera ab eodem fonte, ſive principio, vel mente deducunt, ut ſi res aliqua corporea, ſive ſenſibilis ſit, & corporea illius imago per ſenſus ingreſſa cerebro impreſſa fuerit, poſſit aliquando mens ſe ad ejuſmodi phantaſma convertere, hoc eſt imaginem ipſam cerebro impreſſam, ac veluti in ſpeculo depictam intueri; ſicque dicetur *imaginari* nimirum objectum percipere quod ab aliquâ corporeâ imagine ſibi repræſentetur. Si verò res, vel objectum ſpirituale, incorporeum ſit, vel nullam certè corpoream ſui ſpeciem per ſenſus ad cerebrum trans-

transmiserit, nec alia proinde objecti species in cerebro impressa sit, tunc mens objectum ab omni corporeo phantasmate, vel sensibili imagine separatum contemplabitur, unde illa *intelligere* dicetur, & hæc operatio *intellectio pura* vocabitur.

V. Quid porrò sapientissimos viros in has extremas, & diffidentes opiniones impulerit, suo loco ostendemus, cum de Brutorum animâ disseretur. Illud interim certum, atque, ut superiùs ostendimus, experimento, omniumque Philosophorum consensu probatum admitti poterit, quod, sive sit unica, sive duplex in homine percipiendi vis, & facultas, duæ sunt tamen in illo percipiendi modi superiùs expositi, sive duo Perceptionum genera, ut duæ etiam in homine imaginum, vel Idearum species distingui debeant. Quod ut illustriùs adhuc, & uberiùs intelligatur, observari facilè poterit, quod hæc Perceptionum, & Idearum discrimina nos ipsi experimur, non modò si res diversas, partim nempe corporeas, atque sensibiles, partim spirituales, & incorporeas concipiamus, ut in superioribus exemplis apparet, verùm etiam si unicam, eamdemque rem, aut objectum corporeum diverso ordine, vel modo positum contemplemur. Quis etenim ubi solem concipere, vel intueri velit, non statim sentit in se depingi, vel imprimi, vel, si aliàs impressa fuerat, excitari accuratissimam solis imaginem, in quâ splendor ipse, calor, perennis, & irrequieta partium agitatio clarissimè effulgeat? si tamen solis ipsius magnitudinem, sive molem, quâ quadringentis vicibus Telluris molem continet, concipere velit, nullum

cor-

corporeum Phantaſma, vel ſenſibilem ſpeciem, & imaginem invenire, vel efformare poterit, in quâ immenſam hanc ſolis magnitudinem, non obſcurè, neque confusè, ſed clarè, diſtinctèque intueatur, quamvis, id a ſolâ mente, vel intellectu puro clariſſimè percipiatur, & evidentiſſimè demonſtretur. Sic etiam Antipodas ita concipimus, ut homines aliquos adverſa noſtris veſtigia prementes in aliquâ corporeâ ſenſibili ſpecie, & imagine oculis ferè ſubjectos intueamur; nulla tamen corporea imago nobis occurret, ſi Antipodas ipſos, non inverſo deorſum capite, ſed erectos, ſed perpendiculariter pedibus Telluri inſiſtentes imaginari velimus, quod tamen ab intellectu ſinè corporeo phantaſmate facilè concipitur, & explicatur. Si denique triangulum concipere, vel imaginari velimus, non ſolùm figuram tribus lateribus, & angulis comprehenſam facilè intelligemus, verùm etiam lineas, & angulos ipſos, veluti nobis impreſſos, & accuratiſſimè delineatos ferè intuebimur; quod ſi chiliogonum, ſive figuram mille lateribus comprehenſam cogitemus, intellectus quidem illam clariſſimè contemplabitur, ac illius proprietates oſtendet, nulla tamen clara, vel diſtincta ſpecies, aut illius imago formabitur, nec aliâ clariori imagine mille chiliogoni latera concipiemus, quàm ſi quingentorum laterum figuram cogitaremus.

VI. Quæ quidem exempla, aliaque id genus innumera, quæ poſſent afferri, manifeſtiſſimè oſtendunt, quod duplex in homine reperitur percipiendi modus, ſive in rerum cognitione duo perceptionum genera ſolent adhiberi; adeoque

G   ſatis

ſatis accommodè duplex etiam idearum genus in homine diſtinguitur. Imagines illæ, quæ per externos ſenſus ingreſſæ, cerebro imprimuntur, ibique excitantur, cùm corporeæ ſint, ac nonniſi res, & objecta corporea nobis exhibeant, hìc explicari non debent; ſed ad illam Phyſicæ partem pertinent, in quâ de ſingulis animalium generibus, de illorum viribus, de cerebri ſtructurâ, de ſenſuum ope diſſeritur: illæ verò, quæ ab omni corporeo phantaſmate liberæ, ſejunctæ ſunt, ideoque res, & objecta ſpiritualia nobis oſtendunt, & in intellectu ſolo, vel ipsâ mente efformantur, ac veluti depinguntur, etſi ad Metaphyſicam, ſive Pneumatologiam meliori quodam jure ſpectare videantur, preſſiùs tamen hìc etiam exponi debent, cùm plurima, quæ in hac primâ Logicæ parte dicturi ſumus, vix, ac ne vix quidem intelligi poſſint, niſi prius Idearum natura, varietas, & origo fuerit explicata.

CAP. II.

De Idearum naturâ, & origine.

I. DUm res, & objectum aliquod incorporeum ab intellectu noſtro concipitur, accuratam illius imaginem, & ab omni corporeo phantaſmate depuratam in ipſo intellectu depingi, vel, ſi antea depicta fuerit, excitari, ſatis, ut opinor, in ſuperiori capite demonſtravimus: *Has* autem *rerum formas*, vel perceptarum rerum imagines *appellat Ideas ille non intelligendi ſolùm, ſed*

etiam

etiam dicendi gravissimus auctor, *& magister Plato*, *easque gigni negat*, *& ait semper esse*, *ac ratione*, *& intelligentiâ contineri*, unde omnium primus *Ideas appellasse dicitur Plato: non tamen si hoc nomen, antequam ipse institueret, non erat, ideo vel res ipsa non erant, quas ideas vocavit, vel a nullo erant intellecta; sed alio fortasse, atque alio nomine ab aliis, atque aliis nuncupata sunt. Licet enim cuique rei incognita, qua nullum habet usitatum nomen, quodlibet nomen imponere;* quemadmodum certè ipse Plato *sapius diversis utitur nominibus in eadem re significandâ; Ideam enim, & speciem nominat, & genus, & exemplar, & principium, & causam; nominibus autem utitur variis, ne illius opera imperitis, & rudibus conspicua sint.* Laërt. in Plat. lib. 3.

II. Nihil aliud est itaque Idea, quàm *spiritualis*, *& incorporea quadam imago*, *qua ab intellectu nostro concipitur dum aliquid sinè corporeo phantasmate contemplamur;* ut optimè proinde dixerint alii, quod Idea est *primum objectum nostra mentis*, sive est *illud objectum*, *quod proximè*, *& immediatè menti nostra obversatur*, cùm certè mens ipsa nihil concipere, nihil cogitare unquam possit, quin aliquid cogitando, vel concipiendo vivam rei conceptæ imaginem, ac Ideam non consideret: quo certè fieri debet, ut quemadmodum nihil est clarius intellectui cogitanti, quàm actualis ipsa intellectûs cogitatio, ita quoque clarissima sit conceptæ, cogitatæ, vel perceptæ formæ imaginis, ac Ideæ natura, & existentia; hanc etenim sibi impressam, intimo quodam, vividoque sensu deprehendit, nec unquam ab illâ mentis aciem avertit, nisi cum

 obje-

objectum aliud considerans, aliam imaginem, & Ideam contempletur.

Quod si idearum natura, & existentia menti, vel intellectui nostro cogitanti quodammodo effulget, nec ipsa mens cogitando dubitare unquam potest, quin aliqua rei conceptæ imago sibi impressa, vel excitata jam fuerit, nihilque ferè subtiliùs, aut accuratiùs ab acutissimis viris exploratum fuerit, quàm ejusmodi mentis humanæ vis, & Idearum origo, nihil est tamen obscurius hac illarum origine, nihilque magis ab intellectu ignoratur, quàm unde imagines illæ prodierint, & quâ ratione, vel arte sibi impressæ, vel excitatæ fuerint; ideoque mirum est certè quàm veteres, recentioresque Philosophi in explicandâ Idearum origine diffideant. Varias illorum opiniones in Metaphysicâ recensebimus; hìc illarum aliquas subiiciemus, tum ut clariùs intelligi possint ea, quæ paullo inferiùs exponenda sunt, tum ut errores aliqui deprehendi, vitarique possint, qui exinde facilè orirentur.

III. Divinus ille Philosophos Plato, quo nemo nobiliùs, atque magnificentiùs de mentis nostræ naturâ disseruit, has rerum formas, & imagines, quas ille omnium primus Ideas vocavit, etsi variis etiam, diversisque nominibus, ut antea dicebamus, eamdem rem subinde expresserit, menti nostræ ingenitas, ac naturâ ipsâ impressas existimavit. Cùm etenim rationales animas ab æterno creatas, & in aliquâ Cœli parte, præsertim verò in sideribus, collocatas esse putaret, asseruit quod Deus omnium rerum imagines, & Ideas singulis mentibus impressit,

ut

ut illarum ope omnia cognoscerent, hoc est in illis omnia clarissimè contemplarentur; deinde verò cum Anima ex proprio sidere in humanum corpus organizatum descenderet, ibique velut in obscuro carcere versaretur, imagines illæ corporis contagione perturbatæ, confusæ, extinctæ, obliteratæ adeo languebant, ut inde nulla cognitio in mente fieri posset, nisi a sensibilibus, corporeis imaginibus illæ paullatim excitarentur; donec sedulâ quadam, vigilique mentis industriâ, ac assiduo sensum labore, pristinum ordinem, claritatem, vim assequutæ, veterem quoque rerum cognitionem in mente producerent: quæ proinde rerum cognitio, non scientia, sed potius reminiscentia dicenda foret, unde apud Platonicos illud effatum usurpabatur: *Scire nostrum est reminisci*, vel ut expositâ Platonis sententiâ concludit Cicero: ***Nihil aliud est discere, nisi recordari*** (a) *.

Celebrem hanc Platonicorum omnium opinionem, quam elegantissimè Cicero, Augustinus, Seneca, aliique plurimi sunt prosequuti, nos alio in loco fusiùs exponemus, ostendemusque quid in illa probari, quidve reprehendi debeat. Illud interim intelligi, advertique poterit, ingenitas, & innatas esse juxta Platonicos menti nostræ rerum imagines, ut non aliunde ideæ originem duxerint, quàm a Deo, qui illas, & in illis omnium Scientiarum virtutumque se-

 mi-

(a) *Cic. Tusc.* 1.

* Hæc est recordatio illarum rerum, quas olim vidit animus noster cum Deo profectus. *Plato in Phædr.*

objectum aliud considerans, aliam imaginem, & Ideam contempletur.

Quod si idearum natura, & existentia menti, vel intellectui nostro cogitanti quodammodo effulget, nec ipsa mens cogitando dubitare unquam potest, quin aliqua rei conceptæ imago sibi impressa, vel excitata jam fuerit, nihilque ferè subtiliùs, aut accuratiùs ab acutissimis viris exploratum fuerit, quàm ejusmodi mentis humanæ vis, & Idearum origo, nihil est tamen obscurius hac illarum origine, nihilque magis ab intellectu ignoratur, quàm unde imagines illæ prodierint, & quâ ratione, vel arte sibi impressæ, vel excitatæ fuerint; ideoque mirum est certè quàm veteres, recentioresque Philosophi in explicandâ Idearum origine diffideant. Varias illorum opiniones in Metaphysicâ recensebimus; hìc illarum aliquas subiiciemus, tum ut clariùs intelligi possint ea, quæ paullo inferiùs exponenda sunt, tum ut errores aliqui deprehendi, vitarique possint, qui exinde facilè orirentur.

III. Divinus ille Philosophos Plato, quo nemo nobiliùs, atque magnificentiùs de mentis nostræ naturâ disseruit, has rerum formas, & imagines, quas ille omnium primus Ideas vocavit, etsi variis etiam, diversisque nominibus, ut antea dicebamus, eamdem rem subinde expresserit, menti nostræ ingenitas, ac naturâ ipsâ impressas existimavit. Cùm etenim rationales animas ab æterno creatas, & in aliquâ Cœli parte, præsertim verò in sideribus, collocatas esse putaret, asseruit quod Deus omnium rerum imagines, & Ideas singulis mentibus impressit, ut

ut illarum ope omnia cognoscerent, hoc est in illis omnia clarissimè contemplarentur; deinde verò cum Anima ex proprio sidere in humanum corpus organizatum descenderet, ibique velut in obscuro carcere versaretur, imagines illæ corporis contagione perturbatæ, confusæ, extinctæ, obliteratæ adeo languebant, ut inde nulla cognitio in mente fieri posset, nisi a sensibilibus, corporeis imaginibus illæ paullatim excitarentur; donec sedulâ quadam, vigilique mentis industriâ, ac assiduo sensum labore, pristinum ordinem, claritatem, vim assequutæ, veterem quoque rerum cognitionem in mente producerent: quæ proinde rerum cognitio, non scientia, sed potius reminiscentia dicenda foret, unde apud Platonicos illud effatum usurpabatur: *Scire nostrum est reminisci*, vel ut expositâ Platonis sententiâ concludit Cicero: ***Nihil aliud est discere, nisi recordari*** (a) *.

Celebrem hanc Platonicorum omnium opinionem, quam elegantissimè Cicero, Augustinus, Seneca, aliique plurimi sunt prosequuti, nos alio in loco fusiùs exponemus, ostendemusque quid in illa probari, quidve reprehendi debeat. Illud interim intelligi, advertique poterit, ingenitas, & innatas esse juxta Platonicos menti nostræ rerum imagines, ut non aliunde ideæ originem duxerint, quàm a Deo, qui illas, & in illis omnium Scientiarum virtutumque se-

 mi-

(a) *Cic. Tusc.* 1.

* Hæc est recordatio illarum rerum, quas olim vidit animus noster cum Deo profectus. *Plato in Phædr.*

mina menti nostræ maximo, & immortali munere impressit.

IV. Veterem Platonis sententiam ita nuperrimè excitavit Cartesius, ut non ab æterno quidem creatas Animas, & illis ab æterno impressas rerum imagines cum Platone putaverit, sed in ipsâ tamen Animarum origine, hoc est, eo tempore, quo mens humana a Deo creata, simulque organizato jam corpori conjuncta fuit; inditas illi dixerit, ac impressas rerum Ideas, quæ prima veluti cognitioni, & Scientiæ semina forent; hac tamen lege, & quasi fœdere inter utramque Corporis, & Animæ substantiam sancito, ut incorporeæ, sive spirituales imagines a mente percipi non possent, nisi priùs ab aliquâ corporeâ imagine excitarentur.

Quemadmodum enim Anima rationalis cùm immortalis, incorporea, cœlestis, divinæque originis esset, in corpore existere non exigebat, sed occulto tamen, ac admirabili quodam sapientissimi artificis consilio, & voluntate factum est, ut illa corpori conjungeretur, ab illo in proprio esse penderet, in illo existeret; ita propemodum fieri oportuit, ut licèt nobiliorem quoque, & incorpoream agendi vim, nobiliores etiam, & incorporeas rerum imagines sibi impressas anima recepisset, quibus incorporeas res, & objecta liberè contemplaretur, a corporis tamen sensibus ita penderet, ut mutua foret inter spirituales imagines menti impressas, atque corporeas a sensibus ortas connexio, vel dependentia, ut quando corporea, vel sensibilis aliqua objecti species cerebro imprimeretur, illius occasione alia similis, sed incorporea in

Ani-

Animâ excitaretur; cùmque viciſſim aliqua ſpiritualis imago in animâ excitaretur, alia ſimilis, ſed corporea in cerebro formaretur: quâ certe hypotheſi non mutua ſolùm corporis, animique dependentia, & ſpiritualium idearum, ſive cognitionis origo, verùm etiam arcanus ille modus intelligi, vel explicari poſſe videtur, quo rationalis anima corpori conjungatur.

V. Ab hac illuſtri Platonis, atque Carteſii ſententiâ, quam Malebranchius (a), Leibnitius (b), aliique complures mirificè coluerunt, plurimùm diffident Ariſtoteles, & Gaſſendus, qui Ideas omnes, omnemque mentis humanæ cognitionem a corporeis, externiſque ſenſibus oriri arbitrantur. Quamvis enim humanæ mentis naturam ſpiritualem, incorruptibilem eſſe fateantur, neque cognitionem omnem idolis, & imaginibus corporeis contineri velint, quod Epicurus olim exiſtimavit; hanc tamen eſſe mentis ipſius naturam putarunt, ut nullam in ſe rerum imaginem, aut Ideam impreſſam habeat, ſed telæ inſtar, cui nulla prorſus imago depicta fuit, aut *tabula raſilis*, cui nihil inſculptum ſit, illam a corporeis ſenſibus omnes rerum imagines acquirere opinantur. Hinc celebre eſt apud illos effatum Intellectum eſſe *tabulam raſam* (c) *; *nihil eſſe in intellectu quin priùs fuerit in ſenſu* (d); *nunquam Animam in-*

 tel-

(a) *De Inquir. Verit.* (b) *In Theodic.* (c) *Ariſt.* 3. *de Animâ c.* 5. (d) *Ariſt. ibid. c.* 8.

* Oportet autem ſicut in tabulâ, in quâ nihil ſcriptum eſt actu, quod quidem accidit in ipſo intellectu. *Ariſt.* 3. *de Anima*.

telligere, *sine corporeo phantasmate*. In explicandâ verò ratione, vel admirabili serie, quâ spirituales, & incorporeæ imagines ab externis sensibus oriuntur, ita conveniunt, ut postquam accuratissima sensibilis objecti species, & imago per sensus ingressa cerebro impressa, ac veluti depicta fuerit, ut in superiori capite demonstravimus, intellectus imaginem ipsam, sive phantasma imaginationi impressum puriori quadam luce perfundat, irradiet, & ab illo speciem aliquam, & imaginem eliciat, quæ cùm a corporeis, singularibus circumstantiis, & accidentibus abstracta, sejuncta, depurata fuerit, incorporea evadat, ejusque conditionis fiat, ut ab intellectu percipi, in intellectu imprimi, ab intellectu comprehendi possit: hinc eadem species quatenus in intellectu imprimitur, *impressa*, quatenus ab intellectu percipitur, & ferè exprimitur, *expressa* dicitur: quemadmodum intellectus ipse, dum irradiando supra phantasmata incorpoream speciem ex illis elicit, *intellectus agens*; dumque speciem ipsam abstractam in se recipit, *patiens* vocatur. Quod si nulla plerumque similitudo, inter imaginem, atque Phantasma corporeum cerebro impressum, & imaginem incorpoream menti impressam, vel ab intellectu conceptam videatur, hanc tamen ab illâ oriri, vel efformari posse arbitrantur, quòd intellectus compositione quadam, diminutione, similitudine, proportione unam ex alterâ ferè deducat. Sic, inquiunt illi, montis aurei, vel lactei fluminis, chimæræ, centauri, &c. imago in mente formatur, quòd illa duplicem montis, auri; vel lactis, & fluminis Ideam simul com-

po-

ponat; Pigmæi, vel Gigantis imago ab intellectu nostro concipitur, quòd ille communem hominis imaginem antea formatam augeat, vel minuat. Res, & objecta spiritualia, ut Deum veritatem, pulchritudinem concipit, quòd illa a corporeis rerum imaginibus ad incorporeas spiritualium rerum imagines transeat; universaliter omnia, quæ ab intellectu nostro concipiuntur, a corporeis imaginibus originem sortiri arbitrantur Peripatetici; ejusque rei argumentum esse conjiciunt, quod nihil ab intellectu percipi consueverit, quod ante sensibus objectum non fuerit; atque ubi sensus aliquis desit, nulla quoque sensibilis objecti imago in intellectu habeatur, ut nulla coloris imago acquiri potest a cæco, nulla soni, sive concentûs a surdo, nihilque proinde concipere, vel intelligere is posset, qui sensibus omnibus destitutus nasceretur. Atque ista quidem inter utramque partem maximo rationum pondere, & acerrimâ ingeniorum concertatione, atque, ut ingenuè quoque loquamur, incredibili prorsus mentis acumine disputantur, ut vix intelligi, deprehendique possit, quis alteri palmam præripiat. Nefas proinde foret de obscurissimâ, gravissimâque re judicium ferre, antequam singula superiùs exposita, & alia innumera, quæ exponenda remanent, clariùs, uberiùs edisseramus, quod in Metaphysicâ fieri oportere jam diximus. Hoc interim monere par fuerit, quod argumenta quædam a Cartesianis afferri solent, quibus innatarum Idearum origo invictissimè demonstrari videtur: præsertim verò, quod illarum rerum imagines habere nos experimur, quæ cùm in-

cor-

corporeæ ſint, nullâ ſenſuum ope cognoſci, vel acquiri potuerunt. Quis etenim entis, cogitationis, temporis, exiſtentiæ, veritatis, juſtitiæ, negationis ideam a ſenſibus ortam, a ſenſibili, ſive corporeâ imagine formatam, elicitam exiſtimaverit, cùm nulla ſenſibili qualitate, ut odore, colore, ſono prædita ſit cogitatio, exiſtentia, tempus, ac nullo proinde ſenſu percepta fuerit, vel etiam percipi potuerit. *Et ſumus*, inquit egregiè Auguſtinus ex Platonis ſententiâ, *& nos eſſe novimus, & id eſſe, ac nos diligimus. In his autem tribus, quæ dixi, multa nos falſitas veriſimilis turbat: non etiam ea, ſicut illa, quæ foris ſunt, ullo ſenſu corporis tangimus, velut colores videndo, ſonos audiendo, odores olfaciendo, ſapores guſtando, dura, & mollia contrectando ſentimus; ſed ſinè ullâ phantaſiarum, vel phantaſmatum imaginatione ludificatoriâ mihi eſſe me; idque noſſe, & amare certiſſimum eſt* (a). *Sic ipſa diſcretio videtur mente, non corpore; & ea, quæ mente conſpiciuntur, non indigent ullo corporis ſenſu, ut ea vera eſſe noverimus* (b). Atque alibi de veritate *noli quærere*, inquit, *quid ſit veritas: ſtatim enim ſe opponent caligines imaginum corporalium, & nubila phantaſmatum, & perturbabunt ſerenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem Veritas* (c).

Non aliunde igitur imagines illæ repeti debent, nec alia cenſeri poterit Idearum origo, quam ab ipsâ mente, cui ſemel ab Artifice ſapientiſſimo impreſſæ illæ fuerint, ut in illis in-


cor-

(a) *Lib.* 2. *de Civ. Dei* . 26. (b) *Epiſt.* 147. *n.* 38. *aliàs* 112. *c.* 16. (c) *Lib.* 8. *de Trin. n.* 3. *aliàs c.* 2.

corporeas res, & objecta spiritualia contemplaretur. Quod enim inquiunt, Peripatetici, Gassendus, & Lokius spirituales istas imagines fieri ex compositione, ampliatione, diminutione, similitudine, proportione cum corporeis, sensibilibusque imaginibus cerebro impressis, absurdum omninò censeri poterit, nisi imagines illæ ostendantur, ex quarum ampliatione, similitudine, &c. spiritualis, & incorporea cogitationis, entis, veritatis Idea oriri, sive prodire potuerit. Quodsi ex puriori quadam luce id fieri dixerint, quâ corporeæ imagines irradientur, & abstractæ, spirituales, & incorporeæ reddantur, pulcherrimas quidem voces, & elegantiæ plenas adhibebunt, eas tamen, quæ rem nihilo clariorem efficiant, & uberiùs exponant, nisi ostendatur spirituales ejusmodi radios ab intellectu prodire posse, quibus aliqua sensibilis, & incorporea imago percipi, perfundique possit. Certè quemadmodum corporea lux solis incorpoream aliquam substantiam, sive imaginem irradiare, afficere, attingere, percipere, elicere, efformare non potest; ita nec insensibilis, & incorporea mentis lux, corporeas imagines, atque phantasmata, attingere, vel irradiare unquam poterit, ut inde spiritualis, & incorporea species oriatur. Illud etiam temere, atque inutiliter a Peripateticis assumitur, corporeas imagines cerebro impressas spirituales, & universales fieri, cum a sensibilibus, corporeisque circumstantiis, aut accidentibus intellectûs agentis operâ secernuntur, depurantur, abstrahuntur; primò quidem, quia nobis omnino incertum, & incompertum est, utrum in corporeâ, sen-

sensibilique imagine cerebro impressâ spiritualis aliqua, & universalis imago confusa, concreta, permixta delitescat; deinde verò, quod quamvis universalis, & spiritualis imago cum singularibus, corporeisque circumstantiis permixta concedatur, non poterit tamen intellectus hanc ab illis abstrahere, secernere, depurare, nisi priùs imaginem ipsam singularibus, corporeis circumstantiis illigatam perceperit, hoc est imaginem ipsam spiritualem, & corporeas etiam circumstantias clarè, distinctèque non viderit; quod tamen ab intellectu fieri non posse jam diximus, atque Gassendus ipse cum Peripateticis asserere debet.

Quæ cum ita sint alteram hanc Platonis, atque Cartesii sententiam nos interim amplectemur, ut varias Idearum species, & accidentia clariùs exponantur. Celebrem tamen divisionem servabimus, quâ rerum Ideæ in *innatas*, *adventitias*, *factitias* distingui solent; ut illæ nimirum innatæ dicantur quæ cùm incorporeæ, & spirituales sint, a sensibus acquiri non possunt, nec aliunde oriri quàm a Deo, qui eas menti impressit: adventitiæ, quæ cùm sensibiles, & corporeas res exprimant, sensibus acquiruntur, ut Idea montis, auri, &c. factitiæ denique quæ cùm neque a Deo impressæ, neque sensibus acquisitæ fuerint, ab ipsâ mente formantur, ut Idea centauri, chimæræ, &c. sed accurata harum omnium discrimina fusiùs, & oportuniùs alibi demonstrabuntur.



CAP.

CAP. III.

De Ideis ad objecta relatis.

I. EX Idearum naturâ, & origine, quam hactenus explicavimus; intelligi quoque, vel explicari facilè poterit, quod omnis Idearum varietas ex solâ rerum varietate, quæ Ideis ejusmodi exprimuntur, repeti debet. Cùm etenim res, & objectum ipsum in propriâ Ideâ, vel imagine accuratissimè depingatur, aut exprimatur, tota varietas, ordo, compositio, quæ rebus, & objectis inerit, in ipsis etiam rerum Ideis, & imaginibus observabitur. Nos itaque varias Idearum species meliori, quo poterit, ordine nunc tradituri varietatem illam hìc antea breviter ostendemus, quam in objectis ipsis advertere, vel contemplari facilè possumus.

II. Atque initio quidem explicanda nobis occurrit celebris illa divisio entium, quæ menti nostræ consideranda objiciuntur, in Res, sive substantias, Modos, vel accidentia, & Res modificatas, sive substantias accidentibus ipsis conjunctas; quæ omnium prima divisio, sive varietas, atque distinctio censeri meritò poterit. Quidquid enim ab intellectu nostro concipitur, intelligitur esse vel *Res*, *vel Rei modus*, *vel Res modificata*. *Res* dicitur illud ens, quod intelligitur esse per se, & independenter ab alio, idest quod sinè alio concipi, vel existere potest, ut optimè concipimus lapidem, arborem, homi-

minem, etsi nullum aliud corpus concipiamus; intelligimus etiam lapidem independenter ab alio quocumque corpore existere posse, quin etiam lapidem ipsum apprehendimus veluti subjectum, cui entitates aliæ superaddantur, & inhæreant, ut *gravitas*, *color*, ut proinde lapis *substantia* vocetur.

Modus verò, vel accidens rei est illud Ens, quod concipi, vel existere non potest independenter ab alio, sed in aliquâ re, sive substantiâ reperitur veluti in subjecto, ut *rotunditas*, *motus*, *calor* intelligi, vel existere non potest, nisi referatur ad aliquod subjectum, quod calidum, sive rotundum sit, quod moveatur, &c. Si denique modus, aut accidens simul cum re, vel substantiâ, cui modus, & accidens aliquod conjunctum fuerit, concipiatur, ut *cera rotunda*, *lignum calidum*, dicetur *Res modificata*.

III. Plurima rerum, vel substantiarum genera inferiùs explicabuntur, cum de Universalibus differetur; interim nobiliores modorum, sive accidentium species enumerabimus.

1. Aliqui ex illis *absoluti* dicuntur, alii *relativi*; Absoluti sunt illi, qui reperiuntur, vel concipiuntur in re, quamvis illa absolutè consideretur in se, sinè ordine ad aliquid aliud, ut *albedo*, *calor*, &c. ita concipitur, ut si unicum tantummodo corpus calidum, aut album existeret, adhuc illi calorem, aut albedinem inesse verificaretur. Relativi verò sunt illi, qui concipiuntur in re, quando res ipsa refertur ad aliud, nec intelligi, vel convenire illi possunt, nisi cum ordine ad aliud, ut *æqualitas*, *similitudo*, &c. neque enim ulla res, sive substantia similis æqua-

æqualis esse; vel dici poterit, nisi concipiatur aliqua alia res, ad quam referatur, sive cui similis, & æqualis illa dicatur.

2. Distinguitur etiam in *intrinsecum*, *inhærentem*, & in *extrinsecum*, *vel attributum*. Intrinsecus dicitur ille, qui verè, realiter in substantiâ reperitur, & illam intrinsecè afficit, sive modificat, ut *albedo*, *calor*, *motus*, *figura*; extrinsecus autem, qui nihil reale ponit in re, cui tribuitur, sed solum nomen, ut cum aliqua res laudatur, amatur, nihil in se verè, ac realiter recipit; quemadmodum etiam homo, qui sit alterius hominis pater, servus, nihil aliud acquirit, quàm solum nomen. Unde a Philosophis, ejusmodi modi *denominationes extrinsecæ* vocari meritò solent. Quod si nomen ejusmodi, sive denominatio tribuatur rei pro ut illa consideratur in se ipsâ, dicetur denominatio *primæ intentionis*, sive primæ considerationis, ut quod Socrates fuerit laudatus, quod ille sit Pater, qui filium genuit, ille sit Judex, qui a Rege constituitur, &c. Sin verò nomen ipsi rei tribuatur, prout ab intellectu nostro concipitur, ut si dicamus, hominem esse nomen substantivum, animal esse neutrius generis, vocabitur denominatio *secundæ intentionis*, sive considerationis, vel clariori, celebriorique nomine *Ens rationis*, quod a solâ ratione, vel intelligendi modo dependeat.

3. Insuper alii modi *reales*, & *positivi* sunt, alii *negativi*; reales, & positivi dicuntur illi, qui exprimunt perfectionem aliquam subjecto, sive substantiæ inhærentem, ut *sapientia*, *soliditas*, *calor*, &c., negativi, qui exprimunt pri-

va-

vationem alicujus perfectionis, *tenebra*, *levitas*, *mors*, &c. Quo tamen loco observari plurimùm debet, quod aliqui modi positivi, & reales negativis nominibus exprimuntur, ut *infinitas*, *immortalitas*; nam cùm modos plurimos, sive proprietates clarè, distinctèque concipere, vel exprimere non possimus affirmando quid illæ sint, illas exprimere solemus negativè, affirmando nempe, vel exponendo, quid non sint, ut *immortale*, significat id, quod mori non potest, *infinitum* quod finibus caret, &c. cùm tamen infinitas, & immortalitas ipsa non sit pura privatio, sive carentia termini, & mortalitatis, sed aliquam etiam perfectionem contineat.

4. Alii denique sunt *apparentes*, alii *veri*. Modus ille dicitur verus, qui neque concipi, neque existere potest, nisi in aliquâ re tanquam in subjecto, ut *motus*, *figura*, &c. Apparens autem est ille, qui licèt ab illâ re, cui tribuitur diversus concipiatur, tamen ab illâ re non distinguitur, sic *humanitas* concipitur veluti modus, qui in homine reperiatur, *divinitas* in Deo, &c. cum tamen divinitas illa sit ipse Deus, & humanitas ab homine non distinguatur, nisi secundùm considerationem nostri intellectûs, ut ostendetur inferiùs, cum de Præcisione, vel Abstractione loquemur.



CAP.

CAP. IV.

De Ideis simplicibus, atque compositis, ac de Præcisione.

I. Videri fortasse poterit Ideas omnes, & imagines rerum, quæ menti nostræ obversantur simplices, & incompositas esse, cùm unico ferè intuitu, ut in superiori capite demonstravimus, ab intellectu nostro concipiantur. Cùm tamen, ut semel, atque iterum est explicatum, omnis Idearum varietas, atque conditio ex solâ rerum varietate, vel conditione deduci debeat; & aliquæ res, & objecta simplicia sint, alia verò composita, necessarium est etiam, ut imagines ipsæ, & Ideæ simplices, aut compositæ sint: simplices quidem si simplicem nobis, aut unicam entitatem exhibeant; compositæ verò, si plures entitates, sive compositam aliquam entitatem repræsentent. Illud autem ens simplex, & incompositum dicitur, quod plures in partes dividi non potest, vel in quo partes ab intellectu concipi, sive distingui non possunt; illud verò compositum, in quo & plures partes sunt, & ab intellectu concipiuntur, ac distinguuntur.

II. Plurimas itaque entitates ab intellectu nostro cognosci, quæ simplices, & incompositæ sint, manifestissimè ostenditur, quòd in illis partes distingui, vel secerni non possint. Quas etenim partes intelligere, sive distinguere possumus in dolore, voluptate, quam ex alicujus

objecti præsentiâ concipimus? quas in cæruleo, vel rubro colore partes effingere liceat? Certè si cærulei coloris, si odoris, sonitûs partes attentiùs inquiramus, semper cæruleus idem color animo nostro observabitur, nullamque partem assignabimus, quæ cæruleus color non sit.

Sic etiam *velle*, *nolle*, *judicare*, *concipere*, & alii similes actus voluntatis, & intellectûs simplices, ac indivisibiles sunt, cùm nulla prorsus in illis pars effingi, vel distingui possit.

Simplices etiam sunt aliæ plurimæ res, ut *existentia*, *veritas*, *bonitas*, *unitas*, *ens in communi*; quantâcumque enim industriâ, vel mentis studio partes in illis concipere, vel separare conemur, nunquam illæ deprehendi poterunt.

III. Aliæ verò longè plures res, & objecta composita sunt, ut nullâ nimirum ratione concipi possint, nisi plures etiam veluti partes in illis ab intellectu distinguantur. Sic Idea *hominis* ex pluribus partibus resultat, Idea *misericordiæ* plures Ideas complectitur, nempe hominis miseri, & alterius etiam substantiæ, quæ hominis miseriâ commoveatur, illi opem ferat; quod universaliter in vitiis omnibus, atque virtutibus observatur.

IV. Quin etiam si accuratè res singulæ perpendantur, nulla propemodum inveniri poterit, quæ plures partes in se non contineat, adeoque nulla, vel certè numero paucissimæ erunt Ideæ, quæ meritò simplices, & incompositæ dici possint. Nam illæ etiam, quæ simplices, & incompositæ existimantur, quasque superiùs enumeravimus, in partes dividi, vel ab intellectu di-

diſtingui poſſunt. Sic quamvis color, dolor, voluptas, aliaque id genus ſimplicia videantur, fortaſſe tamen ex partibus, ſive aliis entitatibus componuntur, ut in illâ coloris, doloris, voluptatis imagine, univerſalis quædam Idea modi, ſimulque Idea hujus determinati modi diſtingui poſſit, quod alio nomine genus, & differentia doloris vocatur, ut inferiùs oſtendetur. Sic etiam, licèt in ſono, in cæruleo colore nulla nobis illorum pars appareat, vel diſtingui poſſe videatur; qui Muſicæ tamen, vel Picturæ peritus ſit, varias in illis partes deprehendere poterit *. Idea tamen entis in genere, quemadmodum etiam Idea unitatis, ſimpliciſſima nobis videtur, quòd nullæ omnino partes in illâ concipi, vel eſſe poſſint, quin ſtatim entis in genere, vel unitatis eſſentia, & Idea deſtruatur.

V. Quod ſi nulla ferè datur Idea, quæ ſimplex, & incorporea ſit, ſed quælibet Idea, dum entitatem aliquam principaliter oſtendit, plures etiam alias complectitur, & involvit, habet tamen intellectus vim, & potentiam, quâ illæ ex compoſitis ſimplices fiant. Cùm etenim omnis Idearum compoſitio partim oriatur ex unione modi cum ſubſtantiâ, ut in Ideâ *Philoſophi* unitur humana natura cum ſapientiâ; partim ex ordine, vel connexione unius ſubſtanſtantiæ cum aliâ, ut in Ideâ *centauri* compo-

 ni-

* Quàm multa vident Pictores in umbris, & eminentiis, quæ nos non videmus? quàm multa, quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati? *Cic. Tuſc.*

nitur hominis, & equi substantia; partim denique ex ordine, seu compositione unius modi cum alio modo, ut in Ideâ *motûs accelerati* conjungitur ipsa motûs natura cum velocitate, acceleratione, directione, quæ in ipso motu reperitur, manifestissimè apparet, quod Idea simplex efficietur, ubi separetur modus a re, vel ipsa res concipiatur sinè ordine ad aliam, vel modus intelligatur ab alio quocunque modo separatus. Ejusmodi autem vis, & operatio intellectûs, quâ modum a re; vel rem a re; vel modum ab alio modo distinguit, ac separat; *Præcisio*, vel *Abstractio* vocatur, quòd in illâ unum ab alio veluti scindatur, sejungatur, hoc est unum sinè altero concipiatur.

VI. Hinc autem facilè apparet triplici modo Præcisionem, vel Abstractionem fieri posse:

1. Si separetur res ab aliâ re, ut si concipiatur caput sinè trunco, pars hominis in centauro sinè parte equi.

2. Si separetur res a modo, vel modus a re, ut si concipiatur corpus sinè motu, vel motus sinè corpore.

3. Si separetur modus ab alio modo, ut quantitas, vel extensio a figurâ; motus a velocitate, &c. quod innumeris aliis exemplis uberiùs ostendi, & illustrari facilè poterit.

VII. Hinc etiam alia Idearum varietas, sive divisio oriri poterit, ut aliquæ nimirum *adæquatæ* sint, aliæ *inadæquatæ*. Adæquatæ dicuntur illæ, quæ nobis exhibent partes, ac entitates omnes, quæ in aliquâ re, vel objecto reperiuntur: ejusmodi sunt omnes Ideæ simplices, quæ, cùm nullas partes contineant, ubi se ipsas in-

intellectui ostenderint, omne objectum adæquatè, sivè completè exhibent, ut apparet in Ideâ doloris, unitatis, &c. Inadæquatæ verò sunt illæ, quæ solùm partem aliquam objecti nobis ostendunt, ceteris adhuc incognitis, qualis non solùm est Idea Dei, cujus attributa, vel perfectiones omnes simul comprehendi non possunt; verùm etiam plerumque sunt Ideæ substantiarum, cùm partes omnes substantiarum, vix intelligi, deprehendique possint, ut apparet in auro, cujus color, gravitas, aliaque plurima cognoscuntur, sed plura tamen adhuc incognita, & occulta remanent. In quo proinde notari maximè debet, ne temere inadæquatam Ideam, veluti adæquatam supponamus, ut ex illâ aliquid inferamus: quamvis enim partes omnes illius nobis cognitæ, vel perspectæ videantur, fieri tamen fortasse poterit, ut aliquod aliud explorandum supersit; unde judicium, quod ex proprietatibus, sive partibus antea cognitis inferetur de totâ re, nos in errorem induceret.

CAP. V.

De Idearum singularitate, & universalitate, & de Abstractione.

I. ADmirabilis illa vis, & Facultas, quam intellectui, vel menti nostræ inesse diximus, ut unum ab alio sejungere, compositas rerum Ideas in simplices dividere, modos a rebus abstrahere, sive præscindere possit, etsi in omni-

bus ferè Perceptionum generibus mirificè appareat, nullibi tamen clariùs, & illustriùs effulget, quàm ubi intellectus ex variis singularium rerum Ideis, universalem aliquam, pluribusque communem Ideam elicit, ac efformat; quod ut accuratiùs intelligi, atque, ut par est, exponi possit, observari maximè debet, quod res, & objecta, quæ menti nostræ consideranda objiciuntur, vel *singularia*, vel *particularia*, vel denique *universalia* sunt; ut eadem proinde varietas, atque distinctio, in Ideis ipsis, & imaginibus, quibus ejusmodi res, & objecta repræsentantur, admitti debeat.

II. Singulares itaque Ideæ dicuntur illæ, quæ ita rem aliquam exhibent intellectui, ut alteri convenire, vel aliam exprimere nequeant, ut Idea, quam quilibet homo habet sui ipsius, idea Socratis, Platonis, &c. istæ siquidem adeò determinatè, distinctèque rem aliquam repræsentant, ut aliam repræsentare non possint, unde singularibus etiam nominibus exprimi solent, ut *Pythagoras*, *Aristoteles*, &c. Particularis autem est illa, quæ unicam quidem rem intellectui nostro proponit, sed indistinctè, ac confusè, qualis ex. gr. est Ideâ, quæ in mente nostrâ excitatur, dum hominem aliquem nobis incognitum flentem, sive loquentem audimus, undè confuso, vel indeterminato nomine utimur, ut *aliquis homo*. Universalis denique, sive communis Idea vocatur illa, quæ pluribus rebus convenire potest, vel plures res intellectui nostro repræsentat, ut idea *circuli*, *hominis*, *animalis*, &c. undè communibus etiam, atque universalibus vocibus, sive nominibus demonstratur.

III. Hinc

III. Hinc facilè apparet, Ideas universales, quæ nimirum pluribus convenire possunt, fieri particulares, ubi superaddantur ipsis aliqui modi, circumstantiæ, proprietates, a quibus ita limitentur, determinentur, ut paucioribus numero rebus, atque subjectis conveniant. Sic Idea entis in genere communis adeo, & universalis est, ut omnia veluti complectatur, & omnibus rebus conveniat; si verò Ideæ, vel conceptui entis in genere superaddatur modus, atque perfectio, quod subsistat per se, limitabitur quodammodò, ac minùs universalis fiet, ut non accidenti, sed soli substantiæ conveniat. Quod si iterum Idea substantiæ, cum extensione conjungatur, efformabitur Idea, quæ non omni substantiæ, sed soli corpori, sive substantiæ corporeæ tribui poterit. Si rursus corpus cum intrinseco quodam nobilioris motûs principio concipiatur, resultabit Idea non omni corpori, sed viventi solùm conveniens. Similiter si viventi corpori sentiendi, vel cognoscendi vim inesse intelligamus, restrictior alia fiet Idea, quæ solis animalibus tribui poterit; quod si ideæ, sive naturæ animalis superadditam rationem, sive mentem humanam supponamus, nova quædam natura, vel Idea orietur, quæ non animalibus omnibus, sed homini soli conveniet. Si denique naturæ humanæ temporis, aut loci circumstantias additas intelligamus, sive consideretur homo cum aliquâ temporis, aut loci conditione, singularis hominis Idea formabitur ex. gr. Socratis, quæ distinctè adeo, vel determinatè Socratem ipsum repræsentabit, ut alteri homini convenire non possit.

IV. En itaque ſeries, & ordo, quo novis accidentibus, modis, circumſtantiis, conditionibus, ſive proprietatibus paullatim additis ex univerſaliſſimâ Ideâ entis in genere ſingularis, ac indiviſibilis Idea Socratis eſt efformata; hoc eſt univerſalis illa, ſive communis Idea, quæ pluribus, aut omnibus rebus convenire poterat, ita paullatim limitata, quodammodo reſtricta eſt, ut uni tantummodo diſtinctæ, ſive determinatæ rei convenire poſſit. Id autem innumeris aliis exemplis oſtendi, vel illuſtrari poterit, cùm facile appareat in ſingulis Ideis univerſalibus varias veluti partes, aut gradus reperiri, quorum ſinguli partes alias minùs univerſales continent, ſicque deinceps, donec ad ultimam ſingularem indiviſibilem ideam deſcendatur. Sed hæc illuſtriùs adhuc, & uberiùs intelligentur, ubi rerum ſeries in arbore Porphyrianâ, vel Pourchotianâ demonſtrabitur.

V. Illud interim obſervare juverit in hac expoſitâ Idearum ſerie ſuperiorem Ideam, hoc eſt univerſaliorem, in inferiori, vel minùs univerſali contineri, & a ſuperadditâ differentiâ, vel modo limitari; ſicuti inferior ipſa, vel minùs univerſalis in ſuperiori, vel magis univerſali continetur, licèt confusè, indiſtinctè, vel indeterminatè; ut animalis Idea implicitè, confusè, vel indiſtinctè continet hominem, & homo continet animal, cui entitatem aliam, nempe rationem, ſuperaddit.

VI. Cum itaque communis, indifferens, & univerſalis Idea a ſuperadditis circumſtantiis, proprietatibus, vel modis ita limitetur, ut paullatim minùs univerſalis, ac tandem ſingularis

laris omnino fiat, manifestissimè apparet, quod si intellectus noster circumstantias illas continuâ quadam serie superadditas abstrahat, separet, præscindat, ordine ferè retrogrado ab ideâ singulari ad universalem ascendet, hoc est, ideam singularem uni quodammodo rei inseparabiliter, indivisibiliter illigatam, tandem universalem, pluribusque convenientem efficiet.

Id experiri licet in superiori exemplo, ubi si circumstantiæ, vel modi, qui paullatim additi sunt, paullatim etiam separentur, ex singulari Socratis Ideâ ad universalem entis Ideam perveniemus. Sed aliud etiam exemplum addere hìc libet, ut clariùs adhuc hæc intellectûs nostri vis, & operatio demonstretur. Si triangulum æquilaterum in hac chartâ, his coloribus, his loco, & tempore, ab hoc Geometra descriptum intuear, facilè apparet plures in hoc triangulo singulari modos, ideas, partes, ac veluti gradus contineri, quod nempe in chartâ, his loco, tempore, coloribus, artifice descriptum sit, quod sit æquilaterum, quod sit triangulum, quod sit figura, quod sit superficies, quod sit quantitas, quod sit accidens, quod sit ens; ex quibus ideis prima quidem singularis est, ut apparet, cùm a singularibus circumstantiis omnino determinetur, ultima universalissima, ceteræ verò magis universales sunt, quò magis a primâ recedunt, vel accedunt ad ultimam. Si itaque ab ideâ trianguli æquilateri, ut antea descripti, circumstantiam illam separem, quod in chartâ descriptum sit, resultabit idea, quæ triangulis omnibus æquilateris conveniet; si verò non trium laterum æqualitatem,

sed

fed folùm ipfa latera, ternarium fcilicet illorum numerum confiderem, formabitur Idea trianguli, quæ fingulis triangulorum generibus aptari poterit. Quod fi numerum laterum non attendens, confiderem folùm fuperficiem aliquot lineis terminatam, feu circumfcriptam, univerfalior adhuc idea figuræ remanebit, quæ rectilineas omnes figuras exhibebit; deinde verò fi rurfus in hac ipsâ Ideâ figuræ non latera, fed fuperficiem folam intuear, non advertens utrum lineis hæc terminata fit, ideam folius fuperficiei efformavero, in quâ fola longitudo, & latitudo indeterminata reperiatur; quod fi ab ipsâ longitudine, & altitudine, quæ in tali fuperficie reperitur, abftraham, fola quantitatis, & extenfionis idea remanebit; & fi extenfionem ipfam, five partes in quantitate non confiderem, fed folùm advertam quantitatem ipfam in alio corpore, veluti modum in fubjecto reperiri, & ab illo pendere, univerfalior modi, vel accidentis idea menti meæ obverfabitur, a quâ fi denique dependentiam illam a fubjecto feparem, atque folùm in illo confiderem, quod habet aliquod effe, tunc univerfaliffima erit Idea entis in genere, ad quam proinde paullatim per varios gradus femper univerfaliores afcendimus.

VII. Ex hac ipsâ Præcifionis, vel Abftractionis naturâ intelligi poterit, quod ut aliqua natura fingularis, intellectûs abftrahentis operâ, univerfalis reddatur, non requiritur, ut a modis omnibus, five conditionibus fuperadditis abftrahatur, fed folùm, ut a circumftantiis individualibus ita feparetur, ut pluribus quomo-

modocumque conveniat. Individuales autem circumſtantiæ dicuntur illæ, quæ ita rem, vel naturam afficiunt, limitant, uni determinato ſubjecto illigant, ut illam *individuam*, *indiviſibilem*, hoc eſt, a pluribus minimè participabilem, ſive pluribus incommunicabilem reddant, ſolentque ſeptem numerari, atque hoc verſiculo contineri:

Forma, *Figura*, *Locus*, *Tempus*, *Stirps*, *Patria*, *Nomen*.

Sic in exemplo ſuperiùs poſito, ſi ab ideâ trianguli hoc in tempore, his coloribus, hac manu deſcripti, circumſtantias iſtas, quæ ſingularem, indiviſibilem, pluribuſque incommunicabilem hanc trianguli ideam efficiunt, abſtraham, ſeponam; hoc eſt, conſiderem triangulum non advertendo ad locum, tempus, modum, quo deſcriptum fuerit, ſtatim idea fiet univerſalis, ac indifferens, ut triangulis omnibus ubicumque deſcriptis, vel deſcribendis conveniat. Sic in ideâ Socratis, in quâ continetur, ac veluti exprimitur, quod hujus determinatæ formæ, figuræ, ætatis, patriæ fuerit, ſi modos illos, & circumſtantias abſtraham, orietur idea, quæ ſingulis hominibus indifferenter conveniet: ſicuti ſi me loquuturum dicam de homine, qui nullius patriæ, nullius ſtaturæ, nullius certi generis, ætatis fuerit, manifeſtiſſimè apparet, me loquuturum eſſe de homine, ſive naturâ humanâ univerſaliter ſumptâ, quæ ſingulis hominibus ineſſe poterit.

VIII. Hinc optimè communi Philoſophorum omnium conſenſu definitur Univerſale: *Unum reſpiciens multa*; neque enim aliud requiritur, ut

ut aliqua natura universalis dicatur, nisi ut una sit, hoc est indivisa in se, & divisa a quâlibet aliâ; atque insuper aptitudinem habeat, ut ad plura referatur, & illa respicere possit.

IX. Quandoquidem verò natura multa respicere, vel ad illa referri potest, sive ut illorum caussa, sive ut exemplar, sive denique ut essentia, vel constitutivum; hinc aliud Universale dicitur in *caussando*, quod sit *unum aptum caussare multa*, atque illa tamquam effectus a se productos respicere, ut Deus, Artifex, qui plures effectus produxit; aliud *in repræsentando*, quod *aptum sit plura repræsentare*; ut idea floris, circuli, &c., quæ flores omnes, & circulos repræsentat; aliud denique *in essendo*, quod sit *Unum aptum inesse multis*, *& affirmari*, *vel prædicari de illis*, ut humana natura in Socrate, Platone, Chrysippo, &c. ceterisque hominibus reperitur. De postremo hoc Universalis genere hìc differemus; cetera siquidem, quæ ad rerum imagines, & exemplaria pertinent, in superioribus capitibus explicata sunt; de singulis verò caussarum generibus in secundâ Physicæ generalis parte & accuratiùs, & opportuniùs est differendum.

X. Id unum postremò monendum superest, naturas istas universales, alias *univocas* esse, quæ nimirum pluribus eodem modo conveniunt, ut natura *animalis* Cani, Leoni, &c. alias *æquivocas*, quæ pluribus modo omnino diverso conveniunt, ut natura *Canis* sideri, pisci, & animali terrestri; alias denique *analogas*, quæ pluribus modo partim eodem, partim diverso, sive cum aliquâ similitudine, proportione conve-

veniunt, ut esse, nomenque *regis* respectu leonis, aquilæ, lilii, &c. quæ quidem analoga si proportionem, atque similitudinem in seipsis habeant, *analoga proportionis* dicuntur, ut in exemplo allato; sin verò proportionem omnem, ac similitudinem sortiantur ex habitudine, relatione, sive respectu ad aliquod tertium, quod *principalius, sive nobilius analogatum* vocatur, *analoga attributionis* dicuntur, ut cibus, aër, medicina, pulsus, *sana* dicuntur, quòd ad animal referuntur, cujus *sanitatem* significant, seu efficiunt: *divinæ* dicuntur leges, *divinum* ingenium, *divinus* Plato, &c. ex habitudine, vel relatione, quam habent ad *Deum*, quòd nempe leges ab illo editæ fuerint, quòd ingenium, & Plato Dei sapientiam participent, imitentur, &c. Ex his porrò naturarum universalium generibus solas univocas contemplabimur, quòd æquivocæ errorem potiùs, quàm lumen, aut veritatem in mentibus pariant; analogæ verò ad æquivocas, aut ad univocas facilè revocentur. Atque ista quidem de pulcherrimâ, atque admirabili ratione, quâ naturâ redditur ab intellectu universalis, nunc ejusmodi Universalis divisio demonstrabitur.



CAP.

CAP. VI.

De quinque Universalibus.

I. PORphyrius ille, quem Tyro oriundum, sed Judæum genere Origenes sub Plotino socium, & deinde Jamblychus Præceptorem habuit, cùm animadverteret accuratam Universalium divisionem, illorumque genera ad Scientias omnes rite comparandas, præsertim verò ad intelligendas Aristotelis Categorias plurimùm conferre, ut Chrysaorio quoque Romano Juveni morem gereret, Isagogem, sive Introductionem ad Categorias ipsas composuit, in quâ naturas omnes universales ad quinque veluti Capita feliciter revocavit. Quamvis autem plurima in hac Isagoge Porphyrius ipse tradiderit, quæ absurda, vel Fidei repugnantia sunt, quippe qui Judaicam, in quâ natus, deinde verò Christianam Religionem, quam fuerat amplexus, ejuraverat; attamen eleganter adeo, vel accuratè de numero, atque generibus Universalium disseruit, ut illius doctrina communi Philosophorum omnium consensu recepta, & uberiùs fortasse, quàm par fuerat, aucta, vel illustrata sit.

Nos itaque Porphyrium ipsum æmulati, qui plurimas, innumerasque quæstiones, quas fieri hìc posse monuit, & quas revera Arabes Porphyrii interpretes incredibili apparatu fecerunt, omisit, summa tantùm, atque præcipua re-

rum capita complectemur; cùm cetera facilè ab iis fusiùs, uberiùsque tradi patiamur, quibus id otii, sive consilii fuerit.

II. Atque ut ab ipso Universalium numero, vel divisione exordiamur, ex ipsâ definitione, quam paullo superiùs exposuimus, facilè apparet, quinque tantummodo illorum genera admitti oportere. Cùm etenim natura universalis, sit illa, *quæ pluribus convenit*, totidem esse debent Universalium genera, vel universales naturæ, quot sunt illi modi, quibus aliqua natura pluribus convenire potest. Porrò natura, quæ pluribus convenit; vel convenit illis essentialiter, hoc est ad illorum naturam, & constitutivum pertinet, ut sinè illâ concipi, vel esse non possint; vel convenit illis veluti pars, atque principium, sinè quo concipi, vel esse possint, neque in illorum essentiâ, sive naturâ continetur. Si natura pluribus convenit essentialiter; vel ita convenit, ut totam essentiam, atque naturam constituat, ut præter illam nihil in re, vel essentiâ, sive naturâ contineatur, & tunc dicitur *Species*; vel convenit illis ut essentiæ pars, tuncque *Genus*, vel *Differentia* vocatur; Genus quidem si sit pars essentiæ communior, universalior, in quâ res ipsa, vel essentia cum rebus aliis conveniat; Differentia verò, si sit alia pars minùs communis, sed potiùs distinctiva, per quam una res, aut essentia a ceteris distinguatur.

III. Quod si illa natura pluribus conveniat non essentialiter, hoc est ad illorum essentiam nullâ ratione pertineat, necessariò tamen, atque inseparabiliter ad illam sequi, sive cum il-

illâ conjungi debeat, tunc *Proprium*, sive *Proprietas* appellatur; si verò neque essentialiter, neque necessariò, aut inseparabiliter, sed contingenter solùm illi conveniat, ut possit etiam non convenire, dicetur *Accidens*. Id experiri, vel intelligi potest in homine, in quo animalitas, rationalitas, humanitas, capacitas scientiæ, & color reperitur: atque animalitas quidem, rationalitas, & humanitas ad illius essentiam pertinent, ut si aliquod illorum homini desit, jam homo dici, vel esse nequeat; cùm tamen optimè concipiatur hominis essentia, etsi capacitas scientiæ, vel color in illo non concipiatur. Differunt autem animalitas, & rationalitas ab humanitate, quòd hæc sit integra essentia, vel constitutivum hominis, illæ verò sint partes ejusdem essentiæ, quæ simul compositæ hominem efficiunt; animalitas verò a rationalitate distinguitur, quòd illa communior sit, & Brutis etiam conveniat, rationalitas verò soli homini inesse possit. Quod si capacitas scientiæ cum calore comparetur, hic poterit ab homine separari, cui fortuitò, vel contingenter inhæret; illa verò inseparabiliter, ac necessariò cum homine conjungitur.

IV. Species igitur, ut singula Universalia, quæ certè per se non admodum obscura sunt, singillatim, ac subjectis etiam exemplis exponantur, nihil est aliud, quàm *natura quadam universalis, quæ pluribus inter se numero differentibus convenit, & de illis prædicatur*, ut natura humana de Socrate, Platone, &c. Illa verò numero differentia, vel individua dicuntur, quæ cùm singularia, vel circumstantiis individuan-

duantibus circumscripta, limitata, conjuncta sint, in alias naturas dividi nequeunt, vel alteri convenire non possunt. Quia verò natura quælibet, etiam universalis, si cum aliis naturis universalibus comparetur, partim cum illis in aliquo convenit, ut triangulum cum quadrato, quòd utrumque extensionem habeat, & sit figura; leo cum homine, quòd uterque principium habeat sentiendi, & sit animal; partim etiam in aliquo ab illis differt, quòd triangulum tribus, quadratum verò quatuor lateribus constet; quòd homo sit rationis capax, leo rationis expers, manifestissimè apparet, quod omnis Species ex duabus veluti partibus, ac principiis componitur, per quorum unum cum aliis conveniat, per aliud verò differat.

V. Genus itaque est illa *natura, quæ pluribus* naturis etiam universalibus, hoc est *specie differentibus convenit, & de ipsis prædicatur*, ut animal de homine, leone, &c. figura de circulo, quadrato, &c. Illa verò specie differre dicuntur, quorum tota natura, & essentia diversa est; essentiam verò duarum rerum, non eandem, sed diversam esse, adeoque res illas specie inter se differre cognoscimus, ut in Physicá ostendetur, cum in illis apparet insignis quædam differentia, ut sensibiles illarum proprietates, atque congeries accidentium omnino differant, ut in ligno, & ferro, cerâ, fumo, &c.

VI. Differentia verò, ut ex dictis colligitur, & ex ipso nomine apparet, est modus ille, sive *principium illud, per quod plures Species, quæ sub eodem Genere continentur, inter se differunt,*

I sive

ſive, ut ait Porphyrius, eſt *id, in quo Species ſuperat Genus*, ut rationalitas eſt differentia inter ſpeciem hominis, & leonis, rotunditas inter quadratum, & circulum, &c. Ex quo tria facilè inferri poſſunt.


1. Differentiam addere Generi ſemper aliquod poſitivum, quod tamen plerumque negativè, ſive per negationem exprimitur, ut irrationalitas dicitur eſſe Differentia brutorum ab homine. Sic etiam Differentia, quamvis unica ſit, pluribus aliquando vocibus exprimi debet, ut Differentia circuli a ſuperficie ſphæricâ eſt, quod ſit figura rotunda ſimul, & plana.

2. Differentiam dividere Genus, & conſtituere Speciem.

3. Naturam aliquam univerſalem eſſe Speciem reſpectu alterius naturæ genericæ ſuperioris, in quâ continetur (licèt non per hunc reſpectum, ſed per ordinem ad ſua inferiora univerſalis nomen, atque conceptum obtineat), & Genus reſpectu aliarum Specierum, quas ſub ſe continet. Hinc Genus aliud eſt *ſupremum*, quod ſupra ſe nullum cognoſcit; *infimum* aliud, quod nullum infra ſe habet; aliud denique *intermedium*, quod aliud infra, ac ſupra ſe ſortitur: quod etiam de Specie, ac Differentiâ verificatur. Verùm hæc clariùs in ſubjecto ſchemate, ſive Arbore Porphyrianâ apparebunt.


VII. *Proprium* definitur, *modus ille, vel attributum, quod inſeparabiliter, ac neceſſariò pluribus ſpecie, vel numero differentibus convenit*, idque communiter quatuor modis fieri, ſive contingere poteſt; vel enim convenit *ſoli*, *ſed non omni*, ut habere Philoſophiam ſoli homini conve-

bor Pourchotiana



aratius disposita

r Porphyriana



curatius disposita

venit, sed non omni; vel *omni, sed non soli*, ut duos habere pedes omni quidem homini, sed non soli convenit; vel *omni, & soli, sed non semper*, ut canescere, respectu ejusdem hominis; vel denique convenit *omni, & soli, & semper*, ut capacitas scientiæ omni, soli homini, semperque convenit. Ex his autem quatuor modis, ultimus quartum hoc Universale constituit.

VIII. Accidens postremò dicitur *id, quod pluribus ita convenit, ut possit adesse, & abesse, absque subjecti illius, quod afficit, & cui inhæret, corruptione*, ut figura rotunda respectu ceræ, calor in ligno, &c. Ubi notandum est Accidentia quædam a proprio subjecto separari vix posse, ut candor a nive, nigredo ab Æthiope, & tamen Accidentia vocari; quòd nisi id physicè fieri possit, quatenus nempe res ut existens concipitur, vi tamen intellectûs ab essentiâ subjecti separantur; quin etiam de illâ negari possunt, absque eo quod subjecti essentia destruatur. Quod si Accidentia quædam ab essentiâ subjecti neque per intellectum sejungi possint, hoc est subjectum ipsum, sive substantia sinè modo, vel accidente concipi nequeat, ut motus cordis in vivente, mobilitas partium in flammâ, &c. hæc non Accidentia respectu illius subjecti, sed Proprietates erunt, aut ad illorum essentiam pertinebunt, ut in Physicâ ostendetur.

IX. Atque hæc de quinque Universalibus, quæ in Scholis tanto apparatu tradi consueverunt, dicta sufficiant. Maximum enim vitium est, ut ab eruditissimo Melchiore Cano Episcopo Canariensi ex illustri Prædicatorum Ordine est observatum, *Quod quidam nimis magnum*

studium, multamque operam in res obscuras, atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quo in genere multos etiam ex nostris peccasse video, ut eas quoque quæstiones latissimè prosequerentur, quibus Porphyrius abstinuit homo impius, sed in hac parte prudens, ut Platonis, Aristotelisque discipulum possis agnoscere, qui nec quicquam, nisi oportunis, & loco, & tempore tractavere, nec quæstiones illas profecuti sunt, quæ Juvenum ingenia obruerent, non juvarent. Nostri autem importunis vel locis longâ de his oratione disserunt, quæ nec juvenes portare possunt, nec senes ferre; puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui hæc tractarunt. Quis enim ferre possit disputationes illas de Universalibus; de nominum analogiâ; de principio individuationis (sic enim inscribunt); num Deus plures Angelos ejusdem speciei condere possit, aliasque multò vaniores, quæ scribere hìc non juvat, nec decet (a); *quæ enim dementia discere supervacanea in tantâ temporis inopiâ* (b)?

CAP. VII.

De Idearum Claritate, & Distinctione.

I. SI quid in Logicâ, ceterisque disciplinis omnibus vitari maximè debet, id certè est Idearum obscuritas, atque confusio, cùm ex ipsis, veluti ex uberrimo fonte, infectâque radice, er-

(a) *De Loc. Theol. lib. 9. c. 7.* (b) *Sen. Epist. 49.*

errores innumeri oriantur, ut in IV. Parte Logicæ dicetur, ubi ostendemus sapientissimos quoque viros ob Idearum obscuritatem, vel confusionem subinde a vero infeliciter aberrasse.

II. Idea autem clara, pura, vel nitida dicitur illa, quæ *vividum*, ut ita dicam, *sui sensum nobis imprimit*, vel ut a Cartesio (a) definitur, *est illa, quæ maximè lucet ipsa per sese, ac solâ, vel exiguâ mentis attentione innotescit*, ut Idea doloris cum urimur; Distincta verò, quæ *aliquid unum a ceteris omnibus perfectè sejunctum exhibet, ut minimè cum iis confundi possit*, ut Idea extensionis, quæ a modis omnibus præcisa, vel sejuncta concipiatur: quo fit, ut obscura Idea illa sit, *quæ menti cogitanti non statim apparet*, ut Idea modi, quo anima unitur corpori; Confusa verò, *quæ multa simul permiscet*, ut Idea caloris, soni, aliarumque sensibilium qualitatum. Hinc Ideam claram a distinctâ differre plurimi existimant, quòd ex. gr. Idea illa doloris cum urimur clara dici possit, quòd vivissimè nos afficiat; confusa tamen sit, quòd calor ille, qui manu percipitur, cum illo, qui flammæ inest, ita confundatur, ut flammam in seipsâ calidam esse existimemus, & doloris sensus manui, non menti inesse credatur. Verùm dici potest Ideam omnem, quatenus clara, pura, vel nitida est, distinctam etiam esse; confusam verò, quatenus est obscura; sic doloris sensus, qui nos ferit, clarus est, atque etiam distinctus; id verò, quod in illo confusum est, nempe dolorem ipsum a manu sentiri, aut a calo-

(a) 1. *Part. Princ. num.* 45.

re flammæ non differre, non clarum est, sed obscurum.

III. Plurimas autem Ideas in nobis existere, quæ claræ, distinctæque sint, omnes fatentur, cùm plurimæ certè sint, quæ si uberiùs illas illustrare conemur, neque iis, quæ a naturâ, *quâ duce errari non potest* (a), accepimus, contenti simus, obscuriores potiùs futuræ sint. Ac licèt in iis recensendis maximè Philosophi differant, plerique tamen in eo consentiunt, Ideam, quam mens habet sui ipsius, propriarumque cogitationum (quas per sensum intimum, sive conscientiam cognoscit), ideam *extensionis*, *motûs*, *figuræ*, *quietis*, *entis in genere*, *existentiæ*, *numeri*, *temporis*, *&c.* inter clariores habendas esse: quin etiam plurimi existimant Deum ipsum, quatenus est ens summè perfectum, per Ideam claram, & distinctam a nobis percipi, non tamen comprehendi; sicuti clarè, distinctèque percipitur triangulum, cum intelligitur tanquam figura tribus lateribus circumscripta, absque eo quod ceteræ illius proprietates omnes cognoscantur, quod necessarium foret, ut triangulum ipsum comprehendi dicatur. Hinc Idea clara, & distincta in *adæquatam*, & *inadæquatam*, sive completam, & incompletam ita dividitur, ut si partes omnes, quæ in objecto continentur, exhibeat, adæquata meritò vocetur; sin verò aliquas solùm partes exprimat, inadæquata, vel incompleta.

IV. Illud etiam observari poterit, quodsi res aliqua clarâ, distinctâque Ideâ percipiatur, illa

(a) *Cic. 1. de Leg.*

la quoque clarè, distinctèque percipi debebit, quæ cum ipsâ intimè, arctissimèque conjungitur, ut proinde in clarâ, distinctâque rei alicujus ideâ etiam modus, & proprietas illa, quæ cum ipsâ re per ideam expressâ connectitur, quodammodo effulgeat; atque inde veritas, & evidentia propositionum illarum dependet, quæ *Axiomata*, *Dignitates*, *Pronunciata*, *Prima cognitionis Principia*, *Effata*, *&c.* dici solent, ut *omne totum est majus suâ parte*, *&c.*, quia in Ideâ alicujus totius facilè apparet, ac veluti micat etiam idea illius proprietatis, quod totum partes singulas separatim sumptas excedat. Verùm de his aliàs.

V. Quod spectat ad Ideas confusas, & obscuras, illarumque originem, plurimùm certè fallimur in qualitatum, sive accidentium sensibilium Ideâ, vel quòd eodem prorsus modo illas in objectis existere arbitramur, quo sensus nostros afficiunt, aut in carne sentiri, doloremque fieri, ac percipi existimemus, quod tamen utrumque falsum est, ut pluribus suo loco ostendemus *.

* Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus eà, quæ videmus; neque enim est ullus sensus in corpore; sed, ut non solùm Physici docent, verùm etiam Medici, qui ista aperta, & patefacta viderunt, viæ quasi quædam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatæ. Itaque sæpe aut cogitatione, aut aliquâ vi morbi impediti, apertis, atque integris & oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus: ut facilè intelligi possit animum videre, & audire, non eas partes, quæ quasi sunt fenestræ animi, quibus tamen sentire nihil nequeat mens, nisi id agat, & adsit. *Cic. Tusc.* 1.

VI. Ex iisdem etiam sensuum præjudiciis plurima accepimus de gravitate, rarefactione, atque, ut ethica quoque commemorem, de Beatitudine, Gloriâ, Famâ, Felicitate, aliisque sexcentis, quæ mirè plerumque nos decipiunt, atque in errorem abripiunt: hæ namque Ideæ, non aliunde in nobis existunt, quam quòd ab infantiâ ipsâ non aliter de rebus judicare consuevimus, quàm sicuti nobis apparent, nosque afficiunt; atque plerumque in iis exprimendis utimur nominibus, quæ nihil ferè significant. Quod quidem quàm subdolum sit, fallax, ac præsertim in rebus abstractis perniciosum, ex illis etiam ostenditur, qui animam ipsam rationalem, vel rarissimum aërem putarunt, ut Democritus, & Epicurus, vel aërem accensum, ut Stoici, vel cœlestis auræ particulam, ut Manichæi; quòd corporeis imaginibus assueti incorpoream, spiritualemque substantiam concipere, vel cogitare non possent.

VII. Aliud est etiam in Ideis vitium, sive alius confusionis, obscuritatisque fons, & origo, quòd res inter se, modosque rei ab ipsâ re non distinguimus; ut proinde Idea, quæ plura, ac diversa repræsentat, obscura semper, aut confusa sit futura: quod certè vitium in definitionibus ipsis, quæ clarissimæ esse deberent, irrepsit; ut si definiatur ignis *elementum calidum, siccum;* corpus grave, *quod tendit deorsum*, &c. quærendum enim remanet, unde calor, & tendentia illa oriatur, alioquin quæstio de solo nomine haberetur. Si obscuritas, atque confusio Idearum ex primo capite oriatur, facilè vitari illa poterit si sensuum præjudi-

di-

dicia ſeponantur; nihilque, ubi de rerum naturâ, ac proprietatibus agitur, ab intellectu noſtro admittatur, quod ab illo clarè, nitidè, diſtinctèque non percipiatur. Hinc Ideæ plurimæ, quæ initio tenuem, dubiam, ac ferè languidiorem ſui ſpeciem imprimunt, attentione quadam, & animi reflexione vividiores fiunt, & uberiori veluti luce irradiantur. Sin verò confuſæ, vel obſcuræ illæ ſint, quòd plurima diverſa ſimul exhibeant, huic quoque vitio occurri facilè poterit, ſi diſtincta rerum ſeries adhibeatur, ut in ſequenti Capite demonſtrabimus.

CAP. VIII.

De Categoriis, ſive Entium Generibus.

I. Obſcuritas illa, ſive confuſio Idearum, quam in mentibus noſtris oriri plerumque diximus ubi variæ, diverſæque res, aut rerum modi ſimul permixti, vel indiſtinctè percipiuntur, non aliâ meliori methodo dirimi, vel vitari poterit, quàm ſi varias ejuſmodi res ſimul permixtas ita diſtinguamus, ut illarum ſingulas in propria veluti capita, aut claſſes diſtribuamus, ut unum deinde ab alio ſejunctum percipi, deprehendique poſſit. Sic etenim, ut hoc exemplis additis illuſtrius adhuc appareat, cùm doloris Ideam confuſam, vel obſcuram eſſe dixerimus, quòd intellectui noſtro ſimul, eodemque tempore exhibeat ſubſtantiam ignis, quo

uri-

urimur, calorem, quem igni inesse credimus, calorem alium, quem a manu percipi, sive sentiri putamus, manifestissimè apparet, quod illa nitida, clara, distincta fiet, ubi substantia ignis ab omni calore distincta, sive sejuncta concipiatur; & calor ille, qui reperitur in igne, diversus ab illo calore statuatur, qui non a manu, sed ab animâ percipitur: adeoque hæc singula inter se diversa in singulis, diversisque classibus collocentur, vel in varias rerum, modorumque series referantur.

II. Ejusmodi verò rerum, modorumque series ab Aristotele, sive ab Archyta, quem sapientissimi viri auctorem Categoriarum existimant, *Categoriæ*, vel ut interpretatur Boëthius, *Prædicamenta* vocantur, quòd sint suprema veluti quædam genera, capita, classes earum rerum, quæ alteri inesse, vel de substantiâ singulari quæri, prædicari, vel affirmari possunt. Cùmque, ut Peripatetici existimaverant, decem de substantiâ singulari quæri, prædicari, vel affirmari posse viderentur, totidem quoque suprema Entium genera, vel Prædicamenta constituerunt, quæ his etiam versibus artificiosè exprimuntur.

1 2 3 4 5 6
Arbor Sex Servos Fervore Refrigerat Ustos:
7 8 9 10
Ruri Cras Stabo, sed Tunicatus ero.

Arbor *Substantiam* significat; Sex *Quantitatem*; Servos *Relationem*; Fervore *Qualitatem*; Refrigerat *Actionem*; Ustos *Passionem*; Ruri *Locum*, aut *Ubi*; Cras *Tempus*, aut *Quando*; Stabo *Situm*; postrema denique verba Tunicatus ero *Habitum*.

1. Sub-

1. Substantia dicitur *Ens per se subsistens*, ut arbor, homo, Deus, &c. unde entitates omnes, quæ per se subsistunt, æqualiter sunt substantiæ, sive substantia non suscipit magis, & minus. Hinc etiam apparet, quod substantia ratione substantiæ, quatenus nimirum est entitas per se subsistens, alteri substantiæ contraria esse non potest, sed omnis substantiarum repugnantia, & oppositio oritur ab accidentibus.

2. Quantitas est *extensio in partes*. Alia *continua* dicitur, quæ partes omnes continuatas, & connexas habet, ut linea, tempus; alia *discreta*, quæ partibus sejunctis componitur, ut numerus; Continua rursus dividitur in *permanentem*, quæ partes omnes simul existentes habet, ut linea; & *successivam*, cujus una pars alteri succedit, ut tempus, motus, &c. Permanens autem alia est linea, idest *extensio in longum*, alia superficies, sive *extensio in longum, & latum*; alia denique corpus, aut solidum, idest *extensio in longum, latum, & profundum*.

3. Relatio *est ordo, respectus, habitudo unius ad alium*, ut Filii ad Patrem, Solis ad Lunam, &c.

4. Qualitas definitur *accidens modificativum substantiæ*, sive *accidens, per quod substantia dicitur qualis*, ut per calorem calida, per albedinem alba, &c. Dividitur autem Qualitas ab Aristotele in Habitum, Potentiam, Patibilem qualitatem, & Figuram.

Habitus est *facilitas, & propensio quadam ad operandum, qua frequentatis actibus, vel exercitatione acquiritur*, ut habitus canendi, &c. Quod si Habitus debilis adhuc sit, *Dispositio* vocatur.

Po-

Potentia est *vis a naturâ rebus indita ad aliquid agendum*, ut potentia visiva: quæ si debilis, & infirma fuerit, *Impotentia* vocetur.

Patibilis qualitas *est illud accidens, quod sentiri, percipi, vel sensum afficere potest*, ut calor, frigus: eadem verò affectio, quæ fit in sensibus, *Passio* vocatur.

Figura denique est *externa corporis terminatio ex vario partium ordine resultans*, ut figura quadrata, rotunda, &c.

5. Actio dicitur *accidens, per quod caussa constituitur actu caussans, sive producens effectum*.

6. Passio est *accidens, per quod subjectum constituitur actu patiens, sive recipiens effectum*.

7. Ubi *est accidens resultans in corpore, ex eo quod sit in loco*.

8. Quando dicitur *accidens resultans in corpore, ex eo quod sit in tempore*.

9. Situs, aut Positura definitur *accidens resultans in corpore ex dispositione partium in loco, ut* sedere, ambulare, *&c.*

10. Habitus denique dicitur *accidens resultans in corpore, ex circumpositione vestium, vel armorum, &c.*

III. Atque incredibile est certè quàm subtiliter, & ingeniosè Peripatetici de decem istis Categoriis, sive Prædicamentis edisserant; cùm ab illis cognitionem omnem, rerumque scientiam ita pendere arbitrentur, ut perturbatâ, vel imminutâ Prædicamentorum serie, numero, aut ordine, cognitionem omnem perturbari, dirimi, subvertique opinentur.

Aliter tamen doctissimi viri semper existimarunt, quibus illa divisio, vel distributio paul-

lo

lo liberiùs efficta videtur, cùm plurima certè contineat, quæ non vera Entium genera, sed solæ denominationes extrinsecæ, dici debent, ut Relatio, Ubi, Tempus, &c. Quid enim reale, inquiunt ipsi, resultat in homine cum servum acquirit, nisi quod illius dominus appellatur? aut quæ nova realis entitas in Socrate effingi potest, quòd in Academiâ, porticu, vel carcere reperiatur? Quod si denominationes omnes, vel modi extrinseci admitti deberent, jam non decem, sed infinita propemodum Entium genera admitterentur. Illud est etiam a Recentioribus observatum, quod Aristoteles in Prædicamentorum serie varias Substantiarum, & Accidentium species enumeravit; neque tamen Ens, veluti supremum commune genus, expressit, ut proinde Species, omisso Genere, enumeraverit. Plurima denique ex Prædicamentis illis, quæ ab Aristotele enumerantur, ad unum, aut certè ad pauciora numero reduci poterant, ut minor proinde illorum numerus admitti debuerit.

IV. Recentiores itaque Platonem sequuti septem tantummodo Entium genera, vel Prædicamenta constituunt, ut sub communi, supremoque Entis genere duplex substantiæ species, Corporeæ scilicet, & Incorporeæ; ac insuper quinque modorum species, accuratâ, perfectâque serie contineretur; hinc in illorum sententiâ,

1 *Mens*, 2 *Mensura*, 3 *Quies*, 4 *Motus*, 5 *Positura*, 6 *Figura* 7

Sunt cum *Materiâ* cunctarum exordia rerum.

1. No-

1. Nomine Mentis intelligitur *Subſtantia ſpiritualis*, cujuſmodi eſt Deus ipſe, Angeli, & Anima Rationalis, &c.

2. Menſura *Quantitatem* ſignificat, hoc eſt extenſionem in partes.

3. Quies *permanentiam Corporis in loco, in quo reperitur*, quam plurimi quidem realem, ac poſitivam eſſe arbitrantur, ſed fortaſſe veriſimiliùs haberi poterit tanquam pura Motûs privatio: is (a) verò certè fallitur, qui Quietis nomine *tardiorem motum* ſignificari arbitratur, cum Quies ab omni licèt tenuiſſimo motu plurimùm diſtet; ac motus quilibet, quamvis exiguus ad Categoriam Motûs reduci debeat.

4. Motus, eſt *Translatio*, ſive *Migratio Corporis ex uno loco in alium*; ſive *applicatio ſucceſſiva ejuſdem corporis ad plura loca*.

5. Poſitura ſignificat *partium ordinem*, texturam, diſpoſitionem, illamque præſertim, quæ intima eſt, quæque variari non poteſt, quin eadem Subſtantia non varietur.

6. Figura verò eſt *illa partium diſpoſitio, qua exteriùs apparet, quæque ſalvâ rei ſubſtantiâ variari poteſt*.

7. Materia denique *Corpus*, aut *corpoream ſubſtantiam* ſignificat, quidquid demum Corporis, ſive Materiæ nomine intelligatur.

Hæc verò ſeptem rerum genera *cunctarum exordia rerum* dicuntur, quòd Mens, ſive Subſtantia ſpiritualis ſit cauſſa rerum efficiens, nihilque concipi poſſit, quod in ejuſmodi rerum generibus non includatur, aut nulla denique ſingu-

---

(a) *Auct. Art. Cog. Par.* 1. *c.* 3.

gularis Subſtantia reperiatur, in quâ plures, aut omnes etiam ex modis ipſis diſtingui, ſive reperiri non poſſint. Sed hæc illuſtriùs, & accuratiùs in Phyſicâ demonſtrabuntur, ubi de intrinſecis rerum Principiis, præſertim verò ubi de Corporum Qualitatibus in Quartâ Phyſicæ Generalis Parte ex veterum, recentiorumque ſententiâ diſſeretur.

V. Interim poſtremò, ac veluti coronidis loco, enumerandæ, vel exponendæ ſunt illæ rerum proprietates, & accidentia, quæ ab Ariſtotele *Poſt-Prædicamenta* vocantur, quòd rebus illis conveniant, quæ in Prædicamentis collocantur. Ejuſmodi verò dicuntur eſſe Oppoſitio, Prioritas, Simultas, Motus, & Habere.

1. Oppoſitio nihil eſt aliud, quàm *Repugnantia rerum*. Hæc autem *Contraria* dicitur, cum utraque ex illis realis eſt, ac poſitiva, & ab eodem ſubjecto mutuò ſe expellunt, ut *calor*, & *frigus*, *&c.* *Privativa* dicitur illa, quæ datur inter formam, & privationem formæ, ut inter *tenebras*, & *lucem*. *Relativa*, quæ reperitur in iis, quorum unum ad aliud referatur, ut *Pater* ad *Filium*. *Contradictoria* denique eſt Oppoſitio, vel repugnantia, quæ reperitur inter ens, & negationem entis, ut *hominem*, & *non hominem*.

2. *Prioritas*, atque *Simultas* ſunt illi modi, quibus aliqua res dicitur eſſe prior aliâ, aut ſimul cum illâ: cùmque aliqua res præcedere aliquam rem aliam poſſit *Ordine*, ut numerus binarius ternarium; *Dignitate*, ut Princeps ſubditos; *Tempore*, ut Pater Filium; *Naturâ*, Sol radium, qui ſunt in eodem inſtanti temporis, ſed unus ab alio producitur, qua-

tuor

tuor prioritatis, aut simultatis genera enumerantur, contenta hoc versiculo:

Tempore, Naturâ prior est res, Ordine, Honore.

3. *Motus*, sive mutatio rei ad Physicam pertinet.

4. *Habere* denique, hoc est *modus, quo una res ab aliâ dicitur haberi*, ut Filius a Patre, vinum a dolio, &c. nihil in se continet, quod, nedum uberiùs explicari, sed ne memorari quidem mereatur.

CAP. IX.

De Idearum signis, ac de Vocibus.

I. SI quidquid mente concipimus ad mentem ipsam unicè referri oporteret, satis, ut opinor, de primâ Intellectûs nostri operatione dirigendâ in superioribus dictum foret; verùm quia ratio ipsa neque tam nos juvaret, neque tam in nobis esset manifesta, nisi quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus; atque *hoc uno*, ut præclarè inquit Cicero (a), *præstamus vel maximè feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo sensa possumus* (frustra siquidem Bruta ipsa inter se colloqui, seque illorum sensus intelligere Apollonius Thyaneus gloriabatur), aliquid etiam de Idearum signis hìc addere oportuit, cùm præsertim tanta sit Idearum nostrarum cum vo-

(a) *De Orat.* I.

vocibus, aut signis ipsis affinitas, atque conjunctio, ut etiam cum soli quidpiam meditamur, res, & objecta nonnisi cum iisdem vocibus, quibus loquendo utimur, intellectui nostro offerantur.

II. Illud autem *Signi* nomine intelligitur, ut altiùs res repetatur, *quod præter speciem sui, quam sensibus ingerit, aliquid aliud ex se facit venire in cognitionem* (a); adeoque Signum universaliter duas ideas complectitur, & menti simul exhibet eo, qui in Physicâ explicabitur, modo; alteram quidem sui ipsius, alteram verò illius rei, quam significat, ut pictæ imagines, fumus &c. se ipsas sensibus exhibent, atque insuper hominem ignem &c., quem repræsentant. Quia verò pluribus modis res aliqua quidpiam aliud significat, sive pluribus modis cum aliâ re conjungitur, vel ad ipsam refertur, plura quoque Signorum genera enumerantur. Alia siquidem *certa* sunt, quibus res ipsa certò significatur, atque conjungitur, ut vita respiratione; alia solùm *probabilia*, ut est signum canities senectutis; alia denique prorsus incerta, ut

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es (b).

Alia cum rebus ipsis, quas significant, simul existunt, ut pallor, & symptomata cum ægritudine, perturbatoque sanguinis motu; alia a rebus ipsis significatis sejuncta sunt, ut Sacrificia veteris Legis a Christo. Alia rem ipsam, quam significant, continent, ac efficiunt, ut Sacramenta; alia verò efficiuntur ab ipsâ re signi-

K fica-

(a) *Aug. l.2. Doctr. Chr. c.1.* (b) *Mart. l.12. ep.54.*

ficatâ, ut fumus, pallor; alia nec efficiunt, nec efficiuntur a re significatâ, sed illi tantùm conjunguntur, ut laurus appensa cauponæ, &c. Alia de rebus significatis affirmantur, ut imago Cæsaris dicitur Cæsar; de aliis ipsa res significata affirmatur, ut Petra erat Christus, Ecclesia est Arca Noë, &c. Atque ista quidem si ex naturâ suâ rem aliquam significant, hoc est, illi necessariò, seu naturaliter conjunguntur, ut fumus igni, Signa *naturalia* dicuntur. Sin verò ex hominum arbitrio ad aliquid significandum sint instituta, cùm alioquin ex propriâ naturâ, nullam, aut certè tenuem, atque remotam cum rebus ipsis relationem, & connexionem habeant, ut laurus appensa cum cauponâ, Signa *ad placitum* dicuntur.

III. Cùm itaque voces, ut antea diximus, sint Idearum signa, atque ea de caussâ ab hominibus inventæ, vel institutæ fuerint, ut internos mentis nostræ conceptus exprimerent, unde *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet* (a) *; celebris olim fuerat inter Philosophos quæstio, utrum voces *ad placitum*, vel potiùs *ex naturâ* propriâ significarent; hoc est, an arbitraria, vel naturalia signa voces habendæ forent. Posterior opinio Stoicis, aliisque nonnullis arriserat, qui rationem omnem significandi in affinitate quadam vocis, aut soni

(a) *Aug.* 15. *de Trinit. c.* 11.

* Format enim natura priùs nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, juvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit
Post effert animi motus interprete linguâ.

Horat. Arte Poët. vers. 108.

ni cum ipsâ re significatâ positam arbitrabantur, ut *mel*, *murmur*, *asperitas*, *crux*, *vepres*, *stridor*, *&c.* aliaque id genus innumera asperitatem illam in se continere videntur, quam significant. Verùm hæc omnia, aut levia sunt, aut ab ipsâ consuetudine oriuntur, aut de singulis certè effingi non possunt; cùm præsertim apud diversas nationes diversis, & contrariis etiam plerumque vocibus res eadem exprimatur, vel contra unâ, eâdemque voce res plures, ac diversæ significentur, ut apud Ebræos, Sinenses, aliosque complures, quibus minor est vocum copia, & major *patrii sermonis egestas*; atque universaliter etiam in qualibet regione vocum significatio, usus, varietas ex hominum plerumque imperitorum arbitrio oriatur, ut eleganter inquit Horatius (a):

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus;
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

IV. Ceterùm non unica est rerum per voces significandarum inventa ratio, sed alii symbolicos characteres, ut Ægyptii; alii animalium, aliarumque rerum imagines, ut adhuc Astronomi; alii cyfras, ut Arabes, & Arithmetici; alii alia ad libitum usurparunt. Nihil est tamen, quod aut communius sit, aut utilius, quàm voces ipsæ, vel ore prolatæ, vel etiam literis consignatæ, de quibus inferiùs disseremus:

(a) *In Arte Poët. vers. 70.*

interim tamen monere par eſt, plurimum quandoque in adhibendis rerum ſignis peccari poſſe, ſi aut *probabilia* pro *certis* ſumentes, temere de re judicemus; aut ſi rei alicujus ſignum aliquod eſſe ſuſpicemur, quod ab illâ prorſus abhorret; aut ſi ex preſentiâ ſigni rem quoque ſignificatam præſentem eſſe arbitremur, ut in Euchariſtiâ contingeret, aliiſque ſimilibus.

V. Quin etiam in vocibus ipſis plerumque decipimur, niſi ſecundariam, ac veluti acceſſoriam quandam illarum ſignificationem attendamus. Plures etenim voces, quæ rem in ſe honeſtam, laudabilem, ac decoram primariò ſignificant, aliam etiam turpem, aut indecoram ſignificationem adjunctam habent; ut ſi quis alicui dicat, *mentiris*, injuriam illi irrogat, non quòd illum aliter dicere, ac ſentire affirmet; ſed quod ex conſuetudine quendam inſuper contemptûs, aut odii affectum exprimat. Sic voces aliquæ turpes, inhoneſtæque dicuntur, non quòd rem turpem ſignificent (*nihil eſt enim obſcœnum, & turpe dictu*, ut Stoici exiſtimabant, *modò id verecundè, ac prudenter fiat* (a)) ſed quod impudentiam ex uſu adjunctam habent: unde etiam fieri potuit, ut quædam ejuſmodi voces, quæ certis temporibus honeſtæ fuerant, & a ſeverioribus etiam Philoſophis, & Eccleſiæ Patribus uſurpatæ, cùm acceſſoriam hanc inverecundiæ, aut contemptûs notam, ſive ſignificationem acceperint, nonniſi indecorè, & impudenter adhiberi nunc poſſint. Quâ verò ratione vi-

(a) *Cic. Epiſt. Fam. lib.* 9. *ep.* 22.

vitia, & errores ejusmodi corrigantur tum cap. 1. Secundæ Partis, tum etiam in IV. Parte Logicæ fusiùs ostendetur.

CAP. X.

De Proprietatibus, ac Speciebus Vocum.

I. EXpositâ jam Vocum origine, atque admirabili prorsus ratione, quâ in exprimendis animi affectibus adhiberi illæ solent, varias illarum species, & accidentia nunc exponemus, ut illustriùs adhuc appareat quàm præclara fuerit illarum inventio, ac distributio, & quàm meritò post Pythagoram dixerit Cicero, *Sapientissimum fuisse, qui, quod summa Sapientia Pythagoræ visum est, omnibus rebus imposuit nomina* (a).

II. Atque, ut ab universalioribus exordiamur, Vox ab Aristotele (b) definitur *Sonus ex ore Animalis prodiens, & per appulsionem aëris e pulmonibus in fauces incurrentis, & allisi formatus*. Verùm, ut a nobis hoc loco sumitur, nihil est aliud, quàm *sonus articulatus ab homine solo prolatus, ad exprimendas animi cogitationes*: unde meritò a Grammaticis octo orationis partes, sive vocum, terminorum, aut dictionum species enumerantur, quibus omnis locutio, & oratio continetur. Duæ tamen ex illis præcipuæ sunt, tum quòd sæpiùs illis utamur, tum etiam

 quòd

(a) *Tusc.* 1. (b) *Lib.* 2. *de Anim.* c. 8.

quòd ceteræ ad ipſas revocari poſſint, *Verbum* ſcilicet, ac *Nomen*.

1. Nomen ab Ariſtotele (a) definitur *Vox ex inſtituto ſignificans ſinè tempore;* ſignificans nimirum ſimpliciter Ideas, ac Idearum objecta, ut *Deus*, *homo*, *&c.* quod etiam de Pronomine intelligi oportet.

2. Verbum autem, ut Ariſtoteles (b) ipſe definit, eſt *Vox ex inſtituto ſignificans cum tempore;* ſive clariùs, *Vox ſignificans affirmationem cum deſignatione perſonæ*, *numeri*, *&c temporis*. Primariò ſiquidem Verbum ad Judicia exprimenda inſtitutum eſt: temporis tamen, numeri, & perſonæ differentias complectitur. Quin etiam, ſi indicativum modum excipias, quoſdam etiam mentis affectus exprimit, ut imperii, deſiderii, ut *fac*, *valeas*, *&c.*

3. Participium verò, ut ipſa vox ſonat, Nominis, ac Verbi conditionem participat: ſimplices enim Ideas ſinè ullo judicio exprimit, inſtar nominis; ſed temporis differentias cum verbis ſortitur, ut *amans*, *amatus*, *amaturus &c.* non amorem ſolùm ſignificat, ſed tempus etiam, in quo amor exerceatur. Huc etiam referenda infinitiva, ut *bibere*, *flere;* niſi, cùm ejuſmodi voces ſubſtantivæ quodammodo ſint, non verò adjectivæ, inſtar participiorum ad nomina potiùs revocentur.

4. Ceteræ verò Orationis partes, ſi Adverbium excipias, quod modum rei exprimit, ut *ſobriè*, *juſtè*, *&c.* Præpoſitio, Conjunctio, Interjectio modos quoſdam, & accidentia potiùs cogi-

(a) *Lib. de Interpr. c.* 2. (b) *Loc. cit. cap.* 3.

cogitationis nostræ significant, quàm cogitationes ipsas, aut res exprimant. Verùm hæc omnia, quæ fortasse minutiora sunt, clarè, distinctèque cognosci poterunt si diversa Idearum conditio, & natura, quæ per has voces exprimitur, ex his, quæ jam diximus, perpendatur; eadem enim futura est Vocis, aut termini differentia, quæ rei, aut modi per vocem ipsam significati. Hinc plurimæ oriuntur Vocum, seu Terminorum species, quas breviter hìc recensere, vel indicare sufficiat.

III. Terminus alius *Substantivus* est, vel *absolutus*, qui substantiam, aut substantiæ modum significat, ut *homo*, *prudentia*, *&c.* alius *Connotativus*, *vel adjectivus*, qui rem modificatam exprimit, ut *albus*, *prudens*, *&c.* alius *abstractus*, qui modum ipsum, vel formam ab ómni subjecto separatam significat, ut *albedo*, *humanitas*, *&c.* alius *concretus*, qui formam, aut modum exprimit simul cum subjecto, cui inhæret, ut *albus*, *homo*, &c. Nihil est autem quod hìc adjiciam terminos alios *universales* esse, vel *singulares*, vel *particulares*; alios *univocos*, vel *analogos*, vel *æquivocos*; alios *simplices*, *vel compositos*; alios *absolutos*, vel *relativos*; alios *primæ*, vel *secundæ intentionis*, *&c.* cùm Ideas quasdam existere, quæ his ipsis nominibus exprimantur, satis superque III. Capite dictum fuerit. Addendum potiùs nomina quædam *Categorica* esse, quòd res quasdam in certo entium genere, sive categoriâ constitutas significent, ut *animal*, *circulus*, *&c.* alia *transcendentia*, quæ omnibus entium generibus conveniunt, ut *veritas*, *essentia*, *unitas*, *&c.* sicuti etiam quædam

voces *Categorematicæ* dicuntur, quòd rem aliquam per se significent, ut *lapis*, *triangulum*, *albus*, *justus*, *&c.* *Syncategorematicæ* aliæ, quæ non per se, sed solùm aliis junctæ significant, ut *aliquis*, *omnis*, *nullus*, *nemo*; nisi hanc postremam vocem *mixtam* vocare malis, quòd categorematicæ, simulque syncategorematicæ æquivaleat, idemque significet, ac *nullus homo*.

Quod verò diligentiùs est observandum *complexi* termini dicuntur illi, qui vel ex se, vel cum alio termino sibi conjuncto duplicem rem significant; ut duæ proinde ideæ in nobis excitentur, neque de alterutrâ voce, vel ideâ separatim sumptâ id affirmari possit, quod de utrâque affirmatur, ut *homo prudens laudabitur*, longè diversum sensum efficit, ac si absolutè, simpliciterque dicerem *homo laudabitur*. Terminus ille, qui adjungitur, vel *explicativus* est, vel *restrictivus*, prioris nempe significationem restringit, aut clariùs exponit.

IV. Cùm pluribus autem modis voces, aut termini pro rebus ipsis in oratione poni, atque adhiberi consueverint, factum est, ut plures *termini* proprietates distinguerentur, Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Appellatio.

1. Suppositio nihil est aliud, quàm *termini pro re significatâ positio*. Hæc autem multiplex est: Si enim terminus universalis pro omnibus suis significatis ponatur, Suppositio vocabitur *Distributiva*; *Completa* quidem, si etiam ad individua ipsa descendat, ut si quis dicat *omne animal est sensitivum*; *Incompleta* verò si solas species complectatur, ut si dicam *omne Animal fuit in Arcâ Noë*. *Collectiva* denique si vox omnia, ut simul

mul sumpta, significet, ut *partes Orbis sunt quatuor ; Apostoli sunt duodecim, &c.*

At si terminus universalis pro aliquibus tantùm suis significatis ponatur, erit Suppositio *Disjunctiva ; Confusa* quidem si in alterutrum ex significatis indifferenter cadere possit, ut *aliquis oculus est necessarius ad videndum, aliqua navis ad navigandum ; Determinata* verò si certa quædam subjecta, vel significata respiciat, *ut aliqui homines repererunt novum orbem.* Ejusmodi Suppositionum varietas ex illis quatuor terminis syncategorematicis, qui proinde *signa* dicuntur, facilè apparet, nempe *omnis, nullus, aliquis, aliquis non.* Quod si propositio, ut plerumque fit, nullo signo sit affecta, ex termini ipsius exigentiâ, sive ex loquentis intentione universalitas propositionis, aut particularitas cognoscitur, *ut homo est albus, homo est animal*, facilè enim apparet albedinem non de omni, sed de aliquo dumtaxat homine; secus verò animalitatem, non de aliquo solùm, sed de omnibus hominibus affirmari.

2. Datur etiam Termini *Restrictio*, cum amplior illius significatio ad pauciora contrahitur, ut cum dicitur *Orator* pro M. Tullio.

3. *Ampliatio* contra cum extenditur ad omnes temporis, loci, &c. differentias, quæ in ipsâ voce non satis apparent; ut si dicas *Mansueti hæreditabunt terram ;* Id enim non solùm de futuris, sed de præteritis etiam, ac præsentibus Græcis, ac Barbaris intelligitur.

4. Alienatio est cùm ipsâ vox non in propriâ, communi, & quodammodo proximâ ; sed in alienâ, translatâ significatione usurpatur, ut in me-

metaphorâ, & allegoriâ contingit, partim quidem ex verborum inopiâ, partim etiam elegantioris sermonis causâ *, ut *prata rident*, *Scipiades duo fulmina belli*.

5. Appellatio denique fit cum terminus aliquis alteri termino adjungitur, ac tribuitur ut *Cicero est Orator*. Terminus autem ille, qui alteri tribuitur, vel cadit supra *materiale* rei, scilicet supra subjectum, vel cadit supra *formam*, sive *modum*, qui in tali subjecto reperitur; hoc est, vel cadit supra rem independenter a modo, qui in tali re reperitur, vel cadit supra modum ipsum, vel supra rem ratione modi, qui in ipsâ re consideratur. Si terminus ille supra subjectum cadat, Appellatio dicitur *materialis*; si verò supra subjecti formam, aut modum, *formalis*; sic si quis dicat *Musicus cantat*, apparet Appellationem ejusmodi formalem esse, cùm cantare conveniat Musico ratione Musicæ, quæ tanquam modus, perfectio, aut forma quædam in Musico reperitur. Secus verò materialis erit, si dicatur *Musicus currit*, non enim currit ratione Musicæ, seu quia Musicus est, sed solùm quia homo est, & independenter a Musicâ. Quod tamen clariùs adhuc intelligetur, si leviter attendamus utrum terminus ille, qui adjungitur priori termino, conveniat illi quatenus ille determinatè est in se talis, sive talem modum, aut formam continet, tunc etenim Appellatio semper erit *for-*

ma-

* Translationem verborum institutam quidem inopiæ causâ, frequentatam verò delectationis. *Cic.* 3. *de Orat.*

malis; sin verò conveniat illi, etiamsi tali modo, vel formâ destitui concipiatur, erit *materialis*, ut in iisdem exemplis apparet.

Hæc, aliaque id genus à nobis omitti fortasse poterant, cùm subobscura sint, neque plurimùm ad Scientias conferre videantur; consultò tamen adjecimus, tum quia pauca sunt, tum etiam quia difficultas ipsa, si ad inquirendæ veritatis, mentisque dirigendæ studium collimet, non sinè maximo plerumque commodo superetur.

Finis Primæ Partis Logicæ.



LOGI-



LOGICÆ

PARS SECUNDA.



De Judicio, & Propositionibus.



Uod in ipso ferè Logicæ limine demonstravimus, ubi intellectus noster varias rerum imagines, vel ideas; atque in ideis ipsis res, & objecta plurima fuerit contemplatus, illas deinde invicem comparat; ac, si eas inter se mutuò convenire, vel repugnare deprehenderit, unam alteri affirmando conjungit, vel potiùs unam ab alterâ negando separat, ac sejungit: tuncque intellectus aliquid *affirmare*, vel *negare*, hoc est universaliter aliquid *judicare*, sive de re conceptâ, vel apprehensâ judicium ferre concipitur. Hinc optimè Judicium ipsum definitur *Mentis operatio*, sive *cogitationis species, quâ convenientes ideas affirmando conjun-*

gi-

gimus, *vel repugnantes negando sejungimus*; ideoque, licèt Judicium ex duabus, aut etiam pluribus ideis componatur, hoc est intellectus aliquid affirmando, sive negando plura complectatur, sive percipiat; Judicium tamen unico mentis actu, vel operatione perficitur, quâ plures ejusmodi ideæ inter se conjunguntur, aut separantur: res etenim concipere, aut ideas apprehendere Perceptionis quidem est, unde quò plures ideæ percipiendæ, sive perceptæ fuerint, eò plures etiam erunt perceptiones; sed illas omnes antea conceptas simul conjungere, sive sejungere, ad Judicium ipsum pertinet. Quandoquidem verò, sicuti ideæ, quæ mente conceptæ jam fuerint, vocibus exprimuntur, ita Judicia, quæ de re conceptâ sint efformata, variis orationibus, sive Propositionibus, vel, ut Aristoteles inquit, Interpretationibus exponuntur, in hâc alterâ Logicæ Parte, quæ singula complecti debet, quæ ad Judicium ipsum aliquâ ratione spectare possunt, de vario quoque Propositionum genere, naturâ, proprietatibus disseretur.

CAPUT PRIMUM.

De Judicio, ejusque defectibus, atque remediis.

I. Mirari fortasse quis poterit, quod cùm plurima subinde vitia, & errores in Perceptionibus nostris inesse consueverint, nihil tamen in superiori Dialecticæ parte de variis Perceptionis no-

strae

ſtræ defectibus, eorumque remediis oſtenderimus, ſed alteram hanc Logicæ partem aggreſſi ſimus. Optimo tamen jure, ſive conſilio id fieri potuiſſe intelliget, qui Perceptionis naturam paullo accuratiùs inſpexerit.

II. Cùm etenim percipere, ſive rem, & objectum aliquod apprehendere, nihil ſit aliud, quàm objectum ipſum oculis, mentique noſtræ propoſitum contemplari, nihil de ipſo affirmando, ſive negando, nullum certè vitium, aut error in ejuſmodi perceptione ineſſe poterit, niſi de re conceptâ judicium aliquod, ſive affirmando, ſive negando efformetur: eâ propemodum ratione, quâ oculus ipſe non fallitur dum colores in cereo pomo ſimpliciter contemplatur, niſi deinde affirmet, pomum illud verum eſſe.

Omnis itaque veritas, aut falſitas, ſi accuratè loquamur, in ſolo judicio, affirmatione nimirum, aut negatione conſiſtit *: errores autem, & vitia, quæ in perceptione reperiri dicuntur ad judicia pertinent, nec aliâ certe de cauſsâ fallax, & vitioſa Perceptio vocari poterit, niſi quia

---

* Verum, & falſum in compoſitione, diviſioneque conſiſtit. *Ariſt.* 1. *Periherm. c.* 1.

In quibus veritas ineſt, & falſitas, in his conceptuum occurrit compoſitio quædam. *Idem lib.* 3. *de Animâ c.* 6.

Voces incomplexæ neque verum, neque falſum ſignificant, & cùm voces ſint ſigna intellectuum, ſimiliter dicendum de conceptionibus intellectûs: quæ enim ſunt ſimplices, non habent Veritatem, neque falſitatem; ſed ſolùm illæ, quæ ſunt complexæ per affirmationem, vel negationem. *D. Thom. in* 6. *Metaphyſ. lect.* 10.

quia occasionem aliquam præbet intellectui, ut de re pravè conceptâ judicium aliquod efformetur. Satis ergo, superque fuerat, Judicii nostri vitia, eorumque originem demonstrare, ostendere nimirum quid in Perceptione requiratur, ut inde liceat de re conceptâ aliquod affirmando, sive negando judicare: quod accuratiùs, ac fieri poterit, præsenti Capite præstabimus, ut varios Judicii errores, ac vitia enumeremus, tum leges, atque remedia, quæ adhiberi, vel observari commodè possint, subjiciemus.

III. Primum itaque Judicii nostri vitium oriri solet ex *pravâ Terminorum, aut illarum vocum perceptione, quibus idea, sive res ipsa expressa fuerint*. Cùm etenim Judicium ipsum, ut paullo superiùs ostendimus, sit illa mentis operatio, in quâ duæ convenientes ideæ vocibus expressæ inter se conjunguntur; vel, si repugnantes, & contrariæ fuerint, sejunguntur, manifestissimè apparet, quod illæ rite, feliciter conjungi, vel separari non poterunt, nisi ideæ ipsæ accuratissimè cognitæ, & perspectæ fuerint; hoc est nisi mens nostra clarissimè intelligat, quæ vis subjecta sit vocibus illis, aut terminis, quibus ideas exprimimus; alioquin si de re confusis, ambiguisque terminis expressâ, hoc est, si de ambiguâ re judicaret, temere judicaret, nec unquam certa esse posset, utrum ideæ, quæ inter se conjunguntur, aut separantur, inter se verè sejunctæ, sive conjunctæ sint. Quandoquidem verò Termini Perceptio vitiosa esse solet, quòd obscuritas aliqua, sive confusio in voce, aut ideâ contineatur, ita ex hoc duplici fonte error, & vitium in Judicium quoque dimanat.

Tunc

Tunc obſcuritas in voce reperitur, cum nondum apparet quid illâ ſignificetur, ſive quid exprimatur, ut Ariſtoteles animam vocat *Entelechiam*, neque tamen intelligi poteſt, quid illâ voce ſignificetur. Obſcuritas autem in re, vel ideâ reperietur, cum apertè quidem percipitur hâc voce rem illam deſignari, ſed eadem res, & objectum clarè, aut vividè quid ſit non percipitur, ut quid *lucis* nomine ſignificetur probè intelligimus, quid autem ſit eadem lux ignoramus. Confuſio ſimiliter in aliquâ voce reperitur cum plura diverſa ſignificat, eademque menti noſtræ ſimul involuta repræſentat, ut *rex*, *canis*, *&c.* Confuſa verò dicitur ipſa res, & idea cum plura ſimul exhibet intellectui, ut hominis idea, quæ in varias ideas, ac perceptiones dividi, ac veluti diſtingui poteſt.

IV. Atque exinde oritur illud Fallaciæ genus, quod *Vocum* Fallacia dicitur, atque in plures veluti partes diſtingui ſolet; *Æquivocationis* nempe, *Amphibologiæ*, *Accentûs*, atque *Dictionis*.

1. Æquivocatio committitur cum ambigua, vel æquivoca vox uſurpatur, quæ res omnino diverſas ſignificare poteſt, nec intelligitur, quo ſenſu ab adverſario adhibeatur: ut ex. gr. ſi dicerem *canis natat*.

2. Amphibologia eſt cum ſingulæ quidem voces claræ, perſpicuæque ſunt, ſed ſimul unitæ, ſive conjunctæ phraſim dubiam, ancipitem efficiunt, quæ in utrâque contrariâ parte ſumi poſſit:

Ajo te, Æacida, Romanos vincere poſſe.
Omnes nurus ſocrus oderunt (a).

3. Fal-

(a) *Terent. in Hec. Act. Scen.*

3. Fallacia accentûs committitur cum variâ syllabarum quantitate abutimur, hoc est aliqua vox adhibetur, quæ juxta diversam syllabæ quantitatem, diversa significat: ut ex. gr. cùm *populus* arborem, atque hominum cœtum significet, populus autem arbor sit aliquid inanimatum, si inferremus etiam homines simul congregatos esse aliquid inanimatum, accentu, sive quantitate syllabæ abuteremur.

4. Fallacia denique dictionis est illa, quâ Grammaticæ regulis utimur ad judicium aliquod, sive conceptum nostrum occultandum; ut a Stilpone factum accepimus, qui cùm Minervam Deum esse negasset, in judicium tanquam violatæ religionis reus vocatus, atque ab Areopagitis interrogatus, se hac arte, sive fallaciâ defendit: *Neque enim*, inquiens, *Minervam Deum esse, sed Deam; Deos quippe mares esse* (a).

V. Utrique tamen vocum, & idearum vitio mederi facilè possumus, atque fallacias omnes diluere, si nimirum intellectus nihil de re conceptâ judicet, nisi priùs voces, aut ideas, quibus Judicium ipsum componitur, accuratissimè perpenderit. Si vox aut obscura, aut ambigua, aut aliquâ ratione confusa fuerit, illius vis, & significatio exponi debet *; ac, si plures sensus

 ha-

(a) *Laërt. 2. seg.* 116.

* Ego enim id habeo semper in memoriâ, atque in pectore, ut tanquam scopulum, sic fugiam infrequens, atque insolens verbum. *Macr. Saturn.* 1. *c.* 5.

Opera danda est, ut verbis utamur quàm usitatissimis, & quàm maximè apertis, hoc est rem declarantibus. *Cic. Tusc.* 5.

habere possit, determinari ille debet, quo sumpta, vel usurpata fuerit. Eadem quoque diligentia circa ideas ipsas est adhibenda; si confusæ sint, præcisionis ope in partes omnes, quas continent, distingui debent, atque una seorsim ab aliâ spectari, tum illa præsertim observari, de quâ judicium fuerit efformandum. Si obscuræ fuerint, tandiu mentis intuitus in ipsas defigi debet, tamdiu in partes omnes, ac veluti facies, illæ converti, tamdiu attentissima mentis considerationе explorari, ut vividè menti nostræ velut effulgeant. Quod utiliùs, atque libentiùs a nobis fiet, si paullatim animus assuescat rem aliquam placidè, constanterque intueri, neque ex unâ repente ad aliam transvolet; si res eadem cognoscenda veluti nobilis, eximia, admirabilis concipiatur. Si solitarius locus, quietus eligatur: si denique animus nullâ ægritudine, aut affectu, quicumque ille fuerit, perturbetur.

VI. Alterum Judicii vitium superiori vitio conjunctum oritur ex *Præcipitatione Intellectûs*, quando nimirum intellectus ipse de re nondum plenè perspectâ judicat, sive de re clarè perspectâ aliquod aliud obscurum, & ambiguum affirmat, aut negat. *Omnes* etenim, ut præclarè inquit Cicero, *trahimur, & ducimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, in quâ excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, & decipi & malum, & turpe ducimus. In hoc genere hoc vitium notandum est, ne incognita pro cognitis supponamus, hisque temere assentiamur: quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debebunt) adhibebit ad considerandas res &*

& tempus, & diligentiam (a). *Erret enim necesse est, qui assentitur rebus incertis* (b). *Tumque esset insignis temeritas cùm aut falsa, aut incognitæ res approbaretur; neque hoc quidquam esset turpius, quàm perceptioni, & cognitioni assertionem, approbationemque præcurrere*. Cic. Acad. 1.

Ac certè ingenia quædam ejus indolis esse conspicimus, ut quicquid animo, vel leviter conceperint, illud ipsum repente judicant, neque sollicitè, vel seriò inquirunt, utrum res ipsa talis in se est, qualis primâ veluti facie illis affulsit, unde sæpissime decipiuntur, idque præsertim fieri solet ubi publicè disputatur. Temporis enim angustia, disputationis æstus mentem quodammodo abripit, ut antequam propositam rem accuratè perspexerit, de illâ judicet. Hinc optimè vitium ejusmodi vitari potest si attentio plurima adhibeatur, si mens ab assentiendo contineatur, si aliqua temporis mora interponatur, si, uno verbo, tandiu a ferendo judicio abstineatur, quandiu res ipsa perspecta, plenèque comprehensa fuerit *.

VII. Tertius error, aut vitium, quod alia plurima in se complectitur, oritur a *pravià Perceptione*, sive *Præjudicio*, ab aliquâ nimirum opi-

(a) *Cic. de Offic.* 1. (b) *Aug.* 2. *contra Acad. c.* 4. (c) *Cic. Acad.* 1.

* Epicharmi illud teneto, nervos, atque artus esse Sapientiæ non temere credere. *Cic. de Univ.*

Ego maximam actionem puto repugnare visis, obsistere opinionibus, & assensus lubricos sustinere. *Cic. Acad. Quæst.* 4.

Primus Sapientiæ gradus est falsa intelligere. *Lact. Instit.* 1. *c.* 23.

opinione, quæ animo præconcepta fuerit, quâ prævie de re judicavimus; ut proinde mens nostra non ampliùs indifferens, ac libera sit, sed præoccupata in alterutram potiùs partem inclinet. Ejusmodi verò opinio præconcepta vel ab errore sensuum veluti ab occasione quadam, vel ab errore intellectûs, vel denique ab errore voluntatis oriri solet.

1. Ab errore quidem sensûs, quia ab infantiâ ipsâ de rebus non aliter judicare consuevimus, quàm ut sensibus nostris apparent, aut sensus illæ nostros afficiunt, neque solliciti plerumque fuimus inquirere, utrum in seipsis tales revera forent, quales a sensibus exhibentur. Sic ab infantiâ solem bipedalem esse judicavimus, quòd tantæ magnitudinis oculo videatur *; antipodas capite deorsum verso concipimus, quòd aliter nobis oppositi non videantur. Sic etiam res ipsas, & objecta spiritualia corporeis, sensibilibusque imaginibus conjuncta nobis ipsis exhibemus, quòd nonnisi corporeis imaginibus res ope sensuum percipere consueverimus. Si itaque mens de re judicaverit ex hac opinione, vel experientiâ, vel consuetudine sensuum præconceptâ, facilè apparet, quod plurimùm, ac turpiter decipietur, cùm res eædem lon-

* Quandonam homo, nisi quem doctrina Philosophiæ supra hominem, immo verè hominem fecit, suspicari potest stellam unam omni terrâ esse majorem, cùm vulgò singulæ vix facis unius flammam æquare posse videantur? *Macrob. in Somn. lib. 1. c. 16.*

longè diversâ ratione a sensibus percipiantur, & vulgo videantur, ac in se sint *.

2. Suas etiam habet intellectus ipse opiniones antea conceptas, quibus ferè occupatus de re deinde conceptâ liberè judicare non potest, sed a primo errore in errorem alium tacitè inducitur. Experimur enim, quod ubi mens nostra opinionem aliquam induerit, sive judicium aliquod tanquam verum, sibique conveniens de re quapiam conceperit, omnia, quæ illi affinia, similia, vel aliquâ ratione conjuncta videntur, faciliùs, atque libentiùs amplectitur, iisque assentitur, quàm si nihil antea judicasset: quò certè fieri debet, ut cùm primum judicium illud ambiguum, incertum, vitiosumque sit, in altero quoque judicio mens in errorem abripiatur.

3. Incredibile est denique quàm variis erroribus præoccupari consueverit ipsa voluntas, qui deinde in mentem ipsam uberrimè diffunduntur. Quamvis enim rectus, & a naturâ institutus ordo postularet, ut eadem voluntas mentis lumen, ductum, atque judicium constantissimè sequeretur; plerumque tamen fieri videmus, ut voluntas ipsa variis affectibus, amore nimirum, odio, desiderio, lætitiâ, superbiâ, pertinaciâ, aliisque innumeris perturbata, omne mentis judicium, sive cognitionem omnem præcedit, atque intellectum ipsum, antequam res accuratè,

 sibi-

* Opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus. *Cic. de leg.* 2.

Magni autem ingenii est revocare mentem a sensibus, & cogitationem a consuetudine abducere. *Cic. Tusc.* 1.

sibique perspectæ fuerint, ad temere judicandum impellit, sive mentis judicia propriis illis affectibus accommodat, ut in ipsis etiam idem amor, & odium quodammodo effulgeat *.

VIII. Hæc autem, ceteraque id genus vitia, quæ ex præjudiciis oriuntur, suis in locis uberiùs, & opportuniùs explicabuntur, additis etiam remediis, quibus occurri iis possit.

1. Interim verò breviter monuisse juverit, sensuum observationes cautissimè adhibendas esse, præsertim si àb uno solùm sensu, si semel, si negligenter factæ fuerint; atque cùm intellectus se non semel, atque iterum, sed sæpius a sensibus deceptum noverit, assensum proprium cohibere sic debet, ut non temere illis aliquod exhibentibus assentiatur, sed indifferens, tandiu, atque suspensus hæreat, donec eadem veritas ab alio sensu, aut alio lumine confirmetur.

2. Hinc verò fiet, ut judicia singula, quæ ab Intellectu formata fuerint, vera, & accurata sint, neque intellectus ab ullo judicio præconcepto occupetur, quod non verum, riteque formatum sit; unde vereri deinde non poterit, se a prævio quodam judicio falso in errorem in-

---

* Plura multò homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, aut dolore, aut lætitiâ, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliâ permotione mentis, quàm Veritate. *Cicer. Acad. Quæst.* 4.

Quisque judicat prout est affectus. *Aristot. lib.* 6. *Ethic. cap. ult.*

. . . qui amant, ipsi sibi somnia fingunt. *Virg. Egl.* 8.

induci. Optimum tamen, ac sapiens consilium erit præterita quoque judicia ad examen subinde revocare, cùm præsertim judicium illud, quod ex ipsis infertur, dubium, & ambiguum videatur; si etenim posterioris judicii veritas fluctuat, suspicari facilè possumus, prioris quoque judicii veritatem fluctuare.

3. Innumeris quoque voluntatis erroribus medebimur, si animum variis affectibus exuere conabimur, si solo veritatis inquirendæ amore, ad rerum cognitionem, ad ferenda judicia accedamus, si paullisper affectus omnes seponamus, donec de re propositâ judicemus: si denique imaginemur id, de quo judicare debemus, nullâ ratione ad nos ipsos, aut ad illorum aliquem, quos amore, vel odio prosequimur, pertinere, nullum inde commodum, aut fructum oriri posse; tunc etenim clariùs, atque liberiùs de re propositâ mens affirmabit, neque repugnantes ideas temere conjunget, neque temere convenientes sejunget, in quo judicii vitium omne positum dicebamus. Ceterùm cùm hæc alibi, præsertim verò in IV. Logicæ Parte dicturi simus, hìc easdem leges, & regulas superiùs traditas perstringemus; quibus hæc judicii nostri vitia faciliùs cognosci, vitarique possint.

1. *Cùm de re conceptâ fuerit judicandum, ideæ, sive termini, quibus illa exprimuntur accuratissimè sunt percipiendi; atque si obscuri sint, explicandi; si confusi, distinguendi.*

2. *Terminis, aut ideis clarè, distinctèque perceptis, si illæ inter se conveniant, sive repugnent, una nimirum in alterâ contineatur, aut cum illâ perspicuè, necessariò conjungatur, tunc illæ con-*

jungi, sejungive possunt, hoc est una de alterâ affirmari, sive negari poterit.

3. *Quod si Idearum, vel terminorum connexio, seu repugnantia nondum appareat, tandiù assensus, sive judicium cohibendum est, donec illa nobis ex aliquâ tandem parte affulgeat, & innotescat.*

4. *Si etenim duarum idearum connexio in aliarum duarum connexione quodammodo contineatur, aut ex illâ deduci possit, tum veluti certa judicii nostri regula assumi poterit.*

5. *In iis, quæ a sensibus exhibentur, omnis infantiæ, vel consuetudinis error est seponendus, neque de re sensibili judicandum, nisi ex variis sensibus pluries eadem res constanter ostendatur.*

6. *Seponendi similiter, aut exuendi sunt omnes affectus Voluntatis; nullumque Judicium ferendum est, in quo vel minima amoris, aut odii scintilla, sive suspicio contineatur.*

CAP. II.

De Propositionis naturâ, ejusque divisione.

I. CUm Propositio ad exprimenda mentis humanæ Judicia, sive conceptus ab ipsâ mente formatos instituta fuerit, optimè definitur *Oratio exprimendis hominum judiciis accommodata*, sive etiam clariùs *Oratio enuncians unum de alio*: cùmque Judicium ipsum in affirmatione, vel negatione positum sit, optimè quoque definiri potest, *Oratio affirmans, vel negans*: quo præcla-

clarè certè, accuratèque distinguitur a ceteris orationum, sive sermonum generibus, quibus admiratio quidem, imperium, desiderium, aut alius quidam animi nostri sensus exprimitur, ut ex. gr. si dicerem *oh tempora*, *oh mores! Sol ne movearis*, *&c.* nihil tamen expresse de alio sive affirmando, sive negando enunciatur, unde orationes illæ veluti Propositiones haberi minimè possunt.

II. Cùm verò Judicium illud, quod exprimi debet, duas saltèm ideas, ut antea diximus, complectatur; sic etiam Propositio, Judicii interpres, duabus saltèm vocibus constare debet, quibus utraque idea, illarumque conjunctio, sive sejunctio accuratissimè demonstretur. Hinc altera vox exprimit id, quod enunciatur, hoc est, affirmatur, sive negatur de alio, unde *attributum*, sive *prædicatum* vocatur; altera verò significat id, de quo negando, vel affirmando aliquid enunciatur, unde *subjectum* dicitur. Utraque tamen vox *materia*, *terminus*, & *extremum* Propositionis vocatur; materia quidem, quòd ex illis Propositio, veluti partibus componatur; terminus verò, & extremum, quòd ultimum in ipsâ locum obtineant, atque in ipsas ultimò resolvatur eadem Propositio, ut ait Aristoteles: *Terminus est id, in quod resolvitur Propositio tanquam in prædicatum, & subjectum.* Sic hujus Propositionis, *bonum est amandum*, subjectum est illa vox *bonum;* prædicatum verò, vel attributum est *amandum;* verbum denique substantivum *est*, quo affirmationem nostram, sive terminorum conjunctionem animo conceptam exprimimus, utriusque termini vinculum,

ne-

nexus, copula dici ſolet, ſinè quo certè Judicium nullum, nulla affirmatio fieri poſſet. Ceteris tamen verbis, quæ proinde *adjectiva*, ſive *complexa* dixeris, ita judicium aliquod, aut aliqua propoſitio componitur, ut aliquando verba ipſa, præter affirmationem, etiam ſubjectum, aliquando prædicatum, aliquando etiam ſimul utrumque contineant, ut ſi quis diceret *ego cogito*, ſive *ſum cogitans*, ſive etiam ſimpliciter, *cogito*, idem planè ſignificat, ac ſi expreſsè diceret, *ego ſum cogitans*. Propoſitiones illæ, in quibus uterque terminus unà cum copulâ exprimitur, ut *Socrates fuit Athenienſis*, *de tertio adjacente* vocari ſolent, quòd in illis tres voces mutuò adhæreant, conjunctæque ſint: in quibus unicus, alteruter nempe terminus, unà cum copulâ exprimitur, ut *Temiſtocles imperat*, *ſumus miſeri*, *de ſecundo*; *de primo* denique dicuntur illæ, in quibus nullus exprimitur terminus, ſed omnium loco ponitur verbum adjectivum, ſive complexum, ut *impero*, *diligo*, *&c.* vel etiam Subſtantivum ipſum, modò exiſtentiam, non judicium, aut affirmationem exprimat, ſive ſignificet, ut ex. gr. ſi dicerem *ſum*, idem propemodum foret, ac ſi expreſſiùs aſſererem *ego ſum exiſtens*. Quæ ſanè verborum, propoſitionumque varietas oriri inde debuit, quòd ipſa verba non modò rem aliquam, aut perfectionem, quæ negari, vel affirmari poterat, ſed ipſam quoque affirmationem exprimant.

III. Omnis itaque Propoſitio vel expreſsè, vel implicitè ſaltèm unico prædicato, & ſubjecto conſtare debet: neque tamen hinc fieri exiſtimaveris, ut duæ tantummodo voces in Pro-

po-

positione, reperiri debeant; cum etenim id, de quo judicatur, nempe subjectum ipsum propositionis, de quo negatur aliquid, aut affirmatur, pluribus aliquando vocibus exprimatur, atque similiter attributum, quod de alio negatur, aut affirmatur, unicâ semper voce exprimi, aut explicari non possit, ideo plerumque fit, ut ex parte subjecti, sive pro subjecto plures voces ponantur, plures etiam ex parte attributi: semper tamen optimè verificatur, quod aliquid unum, de alio quodam affirmatur, aut negatur; adeoque unicum prædicatum, atque subjectum in ipsâ propositione reperitur, ut in exemplis istis apparet: *Pythagoras fuit sapiens: Pythagoras fuit hominum sapientissimus: Pythagoras docuit animos hominum esse immortales*.

Quod si plura, sive distincta attributa de eodem subjecto; sive idem attributum de pluribus subjectis; sive denique plura attributa de pluribus etiam subjectis affirmentur, sive negentur; tum certè non foret unica propositio, sed tot propositiones intelligi, sive distingui deberent, quot sunt eadem attributa, sive subjecta, ut si diceretur: *Plato, & Epicurus Athenienses fuerunt: Pythagoras ortus est in Samo insulâ, sed in Italiâ docuit*, duplicem sensum efficerent; sive duæ quædam, distinctæque res de eodem subjecto, sive res eadem de duplici subjecto affirmaretur. Propositiones illæ, quæ unico subjecto, & prædicato componuntur, quotcunque demum in ipsis voces fuerint, *simplices* appellantur: illæ verò, quæ plura subjecta, vel attributa habuerint, *Composita* dici solent.

IV. Sed


IV. Sed ut illustriùs adhuc appareat Propositionis natura, mira varietas, atque præclarus usus in Scientiis omnibus acquirendis, breviter hìc illius proprietates, & partes ordine enumerabimus, ex quibus deinde plurimæ Propositionis divisiones satis accommodè desumuntur. Quatuor itaque in Propositione concipi, sive distingui meritò solent, *Materia* nimirum, *Forma*, *Quantitas*, *Qualitas*.

1. Materia sunt illæ voces, aut termini, quibus eadem propositio, veluti partibus, componitur, prout diverso modo inter se mutuò connectuntur, sive conveniunt.

2. Forma Propositionis est affirmatio, sive negatio unius de alio, quibus eadem propositio, sive tota illius vis continetur.

3. Quantitas est illius extensio ad plura, sive pauciora significanda, quando nimirum illius attributum de pluribus, sive paucioribus prædicatur.

4. Qualitas denique Propositionis est id, quod propositionem ipsam jam formatam consequitur, atque in ipsâ tanquam secundaria quædam proprietas reperitur, aut certè inesse concipitur, cujusmodi nimirum est veritas, aut falsitas; unde eadem Propositio ab Aristotele definitur: *Oratio susceptiva veri, vel falsi*. Hæc itaque sunt, quæ in Propositionibus concipi, vel accuratè distingui debent; cum præsertim ex illis, veluti fontibus, varia propositionum genera, sive divisio uberrimè oriatur.



CAP.

CAP. III.

De Divisione Propositionis ratione materiæ.

I. ATque, ut ab ipsâ Propositionis materiâ, hoc est a Vocibus, sive Terminis exordiamur, cùm ipsi termini, vel extrema propositionis non uno, eodemque modo, sed pluribus, diversisque modis inter se connectantur, atque conveniant, *necessariò* nempe, *contingenter*, *possibiliter*, & *impossibiliter*, totidem quoque Propositionum genera distingui poterunt ratione materiæ, ut alia proinde Propositio sit *Necessaria*, alia *Contingens*, alia *Possibilis*, alia denique *Impossibilis*.

1. Necessaria Propositio dicitur illa, in quâ prædicatum necessariò convenit cum subjecto; hoc est ita convenit, ut ab illo removeri, sive sejungi non possit, ut *Deus est immortalis*, *homo est animal*.

2. Contingens est illa, cujus prædicatum accidentaliter, sive contingenter convenit cum subjecto, ita nimirum convenit, ut possit etiam non convenire, ut *Petrus est justus*, *lapis movetur*.

3. Possibilis est propositio, cum prædicatum nondum quidem convenit subjecto, sed convenire illi potest, ut *puer est senex*, *peccator est amicus Dei*.

4. Impossibilis denique est illa, in quâ prædicatum nullâ ratione convenit, aut convenire potest cum subjecto, sed potiùs illi repugnat, ut *homo est lapis*.

Quod

IV. Sed ut illustriùs adhuc appareat Propositionis natura, mira varietas, atque præclarus usus in Scientiis omnibus acquirendis, breviter hìc illius proprietates, & partes ordine enumerabimus, ex quibus deinde plurimæ Propositionis divisiones satis accommodè desumuntur. Quatuor itaque in Propositione concipi, sive distingui meritò solent, *Materia* nimirum, *Forma*, *Quantitas*, *Qualitas*.

1. Materia sunt illæ voces, aut termini, quibus eadem propositio, veluti partibus, componitur, prout diverso modo inter se mutuò connectuntur, sive conveniunt.

2. Forma Propositionis est affirmatio, sive negatio unius de alio, quibus eadem propositio, sive tota illius vis continetur.

3. Quantitas est illius extensio ad plura, sive pauciora significanda, quando nimirum illius attributum de pluribus, sive paucioribus prædicatur.

4. Qualitas denique Propositionis est id, quod propositionem ipsam jam formatam consequitur, atque in ipsâ tanquam secundaria quædam proprietas reperitur, aut certè inesse concipitur, cujusmodi nimirum est veritas, aut falsitas; unde eadem Propositio ab Aristotele definitur: *Oratio susceptiva veri, vel falsi*. Hæc itaque sunt, quæ in Propositionibus concipi, vel accuratè distingui debent; cum præsertim ex illis, veluti fontibus, varia propositionum genera, sive divisio uberrimè oriatur.



CAP.

CAP. III.

De Divisione Propositionis ratione materiæ.

I. ATque, ut ab ipsâ Propositionis materiâ, hoc est a Vocibus, sive Terminis exordiamur, cùm ipsi termini, vel extrema propositionis non uno, eodemque modo, sed pluribus, diversisque modis inter se connectantur, atque conveniant, *necessariò* nempe, *contingenter*, *possibiliter*, & *impossibiliter*, totidem quoque Propositionum genera distingui poterunt ratione materiæ, ut alia proinde Propositio sit *Necessaria*, alia *Contingens*, alia *Possibilis*, alia denique *Impossibilis*.

1. Necessaria Propositio dicitur illa, in quâ prædicatum necessariò convenit cum subjecto; hoc est ita convenit, ut ab illo removeri, sive sejungi non possit, ut *Deus est immortalis*, *homo est animal*.

2. Contingens est illa, cujus prædicatum accidentaliter, sive contingenter convenit cum subjecto, ita nimirum convenit, ut possit etiam non convenire, ut *Petrus est justus*, *lapis movetur*.

3. Possibilis est propositio, cum prædicatum nondum quidem convenit subjecto, sed convenire illi potest, ut *puer est senex*, *peccator est amicus Dei*.

4. Impossibilis denique est illa, in quâ prædicatum nullâ ratione convenit, aut convenire potest cum subjecto, sed potiùs illi repugnat, ut *homo est lapis*.

Quod

Quod si Propositio negativa fuerit, in quâ nimirum exprimitur prædicatum non convenire subjecto, duo tantùm genera complecti potest, cùm duobus tantùm modis prædicatum ipsum abesse, vel removeri possit a subjecto: vel enim exprimimus prædicatum ita non convenire subjecto, ut prorsus illi repugnet, tuncque Propositio *Necessaria*, vel *Impossibilis* dicetur, ut *homo non est lapis*; vel potiùs exprimimus prædicatum non convenire quidem subjecto, sed posse tamen illi convenire, tuncque erit illa Possibilis, sive Contingens, ut *Petrus non est sapiens*.

II. Omnes autem Propositiones hujusmodi *Absoluta* dicuntur, si prædicatum in ipsis absolutè, simpliciter de subjecto affirmetur, vel negetur, ut *Angelus est immortalis*, *Pythagoras fuit sapiens*: Quod si exprimatur insuper *modus*, quo prædicatum ipsum subjecto convenit, ut *Angelus est necessariò immortalis*, *Pythagoras fuit contingenter sapiens*, tunc Propositio *Modalis* vocabitur.

III. Videri etiam posset Propositionem ratione materiæ dividi in *affirmativam*, & *negativam*, quia nimirum *affirmatio*, & *negatio* pendere videtur ex habitudine, respectu, vel ordine unius termini ad alium: quemadmodum etiam plures existimant, affirmationem ipsam, & negationem Propositionis, non alio, quàm Qualitatis nomine intelligi oportere: verùm, etsi de nominibus parum sollicitos esse nos deceat, verisimilius tamen, & accuratius videtur formam propositionis, in quâ nimirum præcisè, formaliter, atque essentialiter, ut ita loquar, po-

posita est Propositio, non aliam esse, quàm affirmationem ipsam, aut negationem; cùm in illâ præsertim omne mentis Judicium, ut paullo superiùs ostendimus, contineatur. Duplex itaque ratione formæ est Propositio, *affirmativa* scilicet, ac *negativa*.

1. Affirmativa dicitur illa, in quâ prædicatum, sive attributum cum subjecto conjungimus, atque prædicatum ipsum subjecto convenire, vel quodammodo inesse dicimus.

2. Negativa verò, in quâ prædicatum a subjecto sejungimus, ac separamus, seu prædicatum ipsum subjecto repugnare dicimus.

Quo certè loco observandum est, Propositionem illam negativam esse, in quâ particula negativa *non* cadit supra verbum, hoc est supra vinculum, nexum, copulam terminorum, sive cum illâ conjungitur. Secus enim, si caderet supra alterutrum ex extremis, prædicatum nempe, sive subjectum, adhuc propositio foret affirmativa, ut propositiones istæ: *non lapis est homo*, *Angelus est non corpus* exprimunt, ac affirmant Angelum esse non corpus, hoc est Angelum esse aliquid a corpore diversum.

IV. Sed, ut ad materiam Propositionis, a quâ subinde digressi fuimus, revertamur, altera quoque divisio Propositionis in *simplicem*, & *compositam* ex illâ deduci solet, cùm simplex, aut composita Propositio, ex unico, sive multiplici subjecto, vel prædicato, ut antea diximus, oriatur. Verùm de utriusque naturâ paullo nunc operosiùs, & accuratiùs agendum erit.

CAP.

CAP. IV.

De Propoſitionibus Compoſitis, earumque Speciebus.

I. PRopoſitiones illæ compoſitæ dici ſolent, quæ multiplex attributum, ſive ſubjectum; ſive multiplex ſubjectum ſimul, atque attributum habuerint: unde, ſicuti ſuperiùs oſtendimus, pluribus Propoſitionibus ſimplicibus æquivalent, ſive ex pluribus ſimplicibus aliquâ ratione ſimul unitis componuntur.

II. Quandoquidem verò Propoſitiones illæ ſimplices, aut *incompoſitæ*, quibus integra Propoſitio compoſita conſtare debet, particulis quibuſdam uniuntur, quæ proinde particulæ *componentes*, aut *unientes* vocari meritò poſſunt, totidem certè diſtingui poterunt Propoſitionis compoſitæ genera, quot ſunt ipſæ particulæ componentes, quibus ad efformandam Propoſitionem compoſitam plures ſimplices, quotcumque illæ fuerint, uniuntur. Porrò particulæ ejuſmodi componentes, etſi modò plures, modò pauciores a variis auctoribus afferantur, ſex tamen illarum genera ſatis accommodè a pleriſque diſtinguuntur, copulativa nempe, disjunctiva, cauſſalis, conditionalis, relativa, diſcretiva; ut alia proinde Propoſitio Compoſita Copulativa dicatur, alia Disjunctiva; Cauſſalis alia, alia Conditionalis; alia Relativa, alia denique Diſcretiva.

III. At-

III. Atque ut eodem ordine singulæ declarentur,

1. Copulativa, seu Conjunctiva dicitur illa, in quâ propositiones simplices particulâ conjunctivâ *&*, *atque*, *ac*, *nec*, *nec non*, sive implicita, sive expressa illa fuerit, conjunguntur, ut in subjectis exemplis apparet, ubi propositiones simplices ex parte subjecti, vel prædicati, vel utriusque simul conjunguntur;

Non bene conveniunt, nec in unâ sede morantur,
Majestas, & amor (a).

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit (b).

Quid non ebrietas designat? operta recludit;
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes (c).

Temeritas, libido, ignavia semper animum excruciant, sollicitant, turbolentaque sunt (d).

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo (e).

2. Disjunctiva est illa Propositio, in quâ simplices particulâ disjunctivâ *seu*, *sive*, *aut*, *vel* uniuntur, ut

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtæ (f).
Imperat, aut servit regina pecunia cuique (g).

M 3. Caus-

(a) Ovid. *Metam.* 2. *vers.* 848. (b) *Horat. epist.* 1. *vers.* 38. (c) *Horat. epist.* 4. *vers.* 16. (d) *Cic.* 1. *Fin.* (e) Ovid. *Metam.* 2. *vers.* 107. (f) *Horat. Art. Poët. vers.* 333. (g) *Horat. epist.* 10. *vers.* 47.

3. Caussalis illa vocatur, quæ particulam caussalem, *quia*, *ut*, *quòd*, *eo quod* continet, quâ Propositiones simplices conjunguntur.

Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones (a);

Rex fuit infelix tali quia sidere natus.

4. Conditionalis est, in quâ simplices uniuntur particulâ conditionali *si*, *nisi*, ut *si justus est, est amicus Dei*.

5. Relativa dicitur illa, quæ particulâ relativâ *ibi*, *ubi*, *&c.* Propositiones simplices unà conjungit, ut: *ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquila.*

6. Discretiva denique est illa, in quâ Propositiones simplices particulis discretivis *sed*, *verùm*, *tamen*, *&c.* inter se conjunguntur, adeoque diversa, ac veluti discreta judicia exprimit, ut: *mors differri potest, vitari tamen non potest.*

Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses (b).

Cœlum, non animum mutant qui trans mare currunt (c).

Victrix caussa diis placuit, sed victa Catoni (d).

Addunt etiam aliqui *Rationalem*, in quâ nimirum Propositiones simplices per particulam rationalem *igitur*, *ergo*, uniantur, ut *Canis movetur, ergo vivit*; sed ejusmodi orationes, sive Propositiones illæ ita conjunctæ, non Propositionem compositam, verùm aliquam potiùs argumentationis speciem efficiunt, quæ Enthimema appellatur, ut alibi demonstrabitur.

IV. At-

(a) *Hor. epist. 1. v. 32.* (b) *Ovid. Art. 2.* (c) *Horat. epist. 11. vers. 27.* (d) *Lucan. lib. 1. vers. 128.*

IV. Atque hujusmodi quidem Propositiones omnes *Explicitæ* dici solent, quòd illarum unio, seu compositio menti nostræ statim effulgeat: *Implicitæ* verò, vel *Exponibiles* appellantur aliæ quòd illarum compositio vix deprehendatur, atque omnino simplices videantur: adeoque per alias clariores, & *exponentes* explicentur.

Exponibiles itaque sunt.

1. Exclusiva, in quâ prædicatum ita subjecto conjungitur, ut exprimatur insuper ope alicujus particulæ exclusivæ *tantùm*, *tantummodo*, *solùm*, *dumtaxat*, *&c.* nullum aliud prædicatum eidem subjecto convenire, ut *Oculus percipit tantummodo colores*; quemadmodum, si particula exclusiva subjecto conjuncta fuerit, exprimetur nulli alteri subjecto idem prædicatum convenire, ut

Deus tantummodo est æternus.

2. Exceptiva, quæ solo ferè nomine ab exclusivâ distinguitur, cum prædicatum de pluribus subjectis, sive de pluribus ejusdem subjecti partibus enunciatur, exceptis tamen, per particulas exceptivas *præter*, *extra*, *&c.* quibusdam ex illis partibus, sive subjectis, ut *omnes mundi regiones sunt nobis cognitæ præter regionem australem.*

Cuncta terrarum subacta,

Præter atrocem animum Catonis (a).

3. Comparativa, in quâ prædicatum enunciatur de aliquo subjecto, quod ordinatur, comparatur, sive refertur ad aliud, ut:

Vilius est argentum auro, virtutibus aurum (b).

unde comparativis vocibus, vel certè particulis

(a) *Horat. Ode* 1. *lib.* 2. (b) *Idem Epist.* 1. *vers.* 52.

comparativis *quàm*, *magis*, *quantò*, *tantò*, *&c.* illa componitur.

> *Quantò splendidior, quàm cetera sidera, fulget Lucifer, & quantò, quàm Lucifer, aurea Phœbe,*
> *Tantò virginibus præstantior omnibus Herse* (a).

4. Inceptiva, quæ exprimit prædicatum ita convenire subjecto, ut antea non conveniret, ut *lignum calefit*.

5. Desitiva, cum aliquid è contra subjecto convenire dicimus, quod amplius illi convenire non poterit, ut *vitam amittit*.

6. Continuativa cum prædicatum non modò priùs convenisse subjecto, sed adhuc etiam convenire affirmamus, ut *Numa Pompilius Romani Imperii pacem conservavit*.

7. Reduplicativa denique (quid enim cetera compositæ Propositionis genera minutiùs prosequamur) in quâ non solùm prædicatum subjecto convenire dicimus, sed insuper etiam per particulas reduplicativas *prout*; *quoad*, *quatenus*, *secundùm quod*, *reduplicativè ut &c.* exprimimus prædicatum ideo convenire subjecto, quia subjectum est tale, non aliud: ut omnis proinde ratio cur attributum ipsi subjecto conveniat, ex entitate, sive naturâ subjecti oriatur, ut ex. gr. si dicimus *Musicus cantat quatenus est Musicus*, hunc certè sensum efficimus, *musicum ideo cantare, quia musicus est:* quod verificari sanè non posset si diceremus *medicus cantat*, neque enim medicus cantare posset, ut medicus, sive ratione, aut ope medicæ facultatis; sed ut aliun-

(a) *Ovid. Metam.* 2. *vers.* 723.

aliunde musicus etiam foret; sive quia cum medicinâ musicam quoque profiteretur. Quibus exemplis intelligi poterit Reduplicativam Propositionem ad Caussalem facilè revocari: quemadmodum certè illius vis, & compositio per Caussalem ipsam optimè exprimitur, ut ex. gr. *Musicus cantat, quia Musicus est*, eundem omnino sensum efficeret, ac si dicerem, *Musicus cantat quatenus est Musicus*.

CAP. V.

De Propositionibus Complexis, & Incidentibus.

I. Quamvis omnia Propositionum genera, si illorum termini, vel extrema tantummodo spectarentur, ad hæc veluti capita revocari posse videantur, ut aliæ quidem Simplices, aliæ verò Compositæ dicerentur, neque aliud certè genus a veteribus Philosophis observatum, sive distinctum fuerit; recentiores tamen inter utrumque genus ejusmodi alias etiam accuratissimè distinxerunt, quas ideo *Complexas* vocarunt, quia terminis complexis componuntur; unde duplicem sensum efficiunt, saltèm implicitè, ut in istâ propositione: *Vir, qui peccaverit morietur*, subjecti locum obtinent illa verba *Vir, qui peccaverit*; Ejusmodi vero verba, *qui peccaverit*, saltèm implicitè propositionem aliquam, sive judicium exprimunt, cujus subjectum est pronomen *qui, qua, quod, &c.* quæ propositio cùm in aliam incidere, ad aliam referri, ipsique tam-

quam principaliori conjungi quodammodo videatur, *Incidens* appellatur.

II. Aliud quoque discrimen inter Propositionem principalem, & Incidentem, quæ illi veluti contingenter adjungitur, observari facilè poterit, quod Propositio principalis exprimit judicium illud, quod actualiter a nobis efformatur aliquid affirmando, sive negando de re conceptâ: Incidens verò exprimit aliud judicium, quod antea formatum fuerit, & quod etiam alteri notum, ac veluti concessum supponimus; ut ex. gr. si dicerem *Pythagoras fuit Samius*, exprimo, enuncio, affirmo, Pythagoram ex hac patriâ fuisse; at verò si dicerem *Pythagoras, qui fuit Samius, de numeris egregiè disseruit*, duo certè judicia nunc exprimo, vel duo prædicata de eodem Pythagora affirmo, quod nempe *fuerit Samius, & quod egregiè de numeris disseruerit*; hoc insigni tamen discrimine, quod secundum judicium illud, quod nempe *Pythagoras egregiè de numeris disseruerit*, veluti nunc a me formatum exprimo; aliud verò, quod *Pythagoras fuerit Samius*, veluti jam antea formatum, ac aliâ propositione simplici expressum, ac veluti concessum suppono.

III. Hinc quò plures fuerint in aliquâ Propositione complexâ propositiones aliæ incidentes, eò magis *complexa* vocari illa poterit, cùm præter sensum principalem eò plures insuper secundarii, minùsque principales sensus in illâ distingui possint, quò plures incidentes propositiones illi conjunctæ fuerint, ut ex. gr. si dicerem *doctrina de diligendis inimicis, quam Christus præcepit, quam Sancti viri exemplo suo confirmarunt, quam ethni-*

ethnici quoque Sapientes commendarunt, est homini conveniens, magis complexa foret hæc propositio, quàm si dicerem *doctrina de diligendis inimicis, quam Christus præcepit, est homini conveniens;* sic in Æneidis exordio propositio ex pluribus incidentibus efformata reperitur:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avenâ
Carmen, & egressus sylvis vicina coëgi,
Ut quamvis avido parerent arva colono,
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis
Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavinaque venit Litora (a).

IV. Universaliter tamen intelligi, vel observari facilè poterit, quod illa propositionis complexio aliquando subjectum, aut prædicatum, aut copulam ipsam, hoc est affirmationem ipsam, aut negationem; aliquando verò duo saltèm ex illis, aut omnia quoque simul afficit: aliquando nempe Propositio incidens supra unum ex illis, aut supra duo, aut denique super omnia cadit, illisque conjungitur, ut in subjectis exemplis apparet.

Supra sub. *Alexander, qui fuit Rex fortissimus, vicit Darium.*

Sup. præ. *Alexander vicit Darium, qui fuit Rex Persarum.*

Sup. cop. *Certum est, quod Alexander vicit Darium*

 Ale-

(a) *Virg. init. Æneadis.*

Sup. sub. & præ.	*Alexander, qui fuit Rex fortissimus vicit Darium, qui fuit Rex Persarum.*
Sup. sub. & cop.	*Certum est, quod Alexander, qui fuit Rex fortissimus, vicit Darium.*
Sup. præ. & cop.	*Certum est, quod Alexander vicit Darium, qui fuit Rex Persarum,*
Sup. sub. præ. & cop.	*Certum est, quod Alexander, qui fuit Rex fortissimus, vicit Darium, qui fuit Rex Persarum.*

V. Porrò ex his, aliisque pluribus exemplis, quæ paullo superiùs attulimus, inferri potest, propositionem incidentem aliquando *explicativam* esse, aliquando *restrictivam*, seu *determinativam;* aliquando enim clariùs tantummodo explicat id, quod in ideâ subjecti, vel prædicati, vel copulæ, licèt obscuriùs, continebatur; ut in illâ propositione *Pythagoras, qui fuit Samius, egregiè de numeris disseruit*, incidens propositio, *qui fuit Samius*, clariùs explicat naturam subjecti, nempe Pythagoræ, illius patriam ostendendo: aliquando verò determinat, sive restringit significationem illius extremi, vel termini, supra quem cadit; ut in illâ propositione *vir, qui peccaverit, morietur*, incidens propositio, *qui peccaverit*, restringit significationem illius vocis *vir:* quo certè fit, ut in priori quidem exemplo, cùm incidens propositio, *qui fuit Samius*, fuerit explicativa, quamvis hæc auferatur, remaneat idem sensus propositionis principalis *Pythagoras egregiè de numeris disseruit*. Secus verò

rò in secundo casu, si omissâ incidente, *qui peccaverit*, dicerem *vir morietur*, longè diversum, magisque universalem sensum efficerem, ac ubi dixeram *vir, qui peccaverit, morietur*.

VI. Ejusmodi verò Propositionis incidentis varietas non aliunde meliùs, & accuratiùs repeti potest, quàm ex ipsâ loquentis intentione, verborumque contextu, cùm alioquin eadem propositio interdum *restrictiva*, interdum etiam explicativa esse possit; ut si dicerem *Pythagoras qui fuit Samius, fuit auctor Italicæ Sectæ*, ut exprimerem ex pluribus, qui hoc idem nomen Pythagoræ sortiti sunt, non Aliptem, aut alium quempiam ex illis, sed Samium tantummodo Italicam Sectam instituisse, tunc incidens illa propositio, *qui fuit Samius*, restrictiva foret, non autem explicativa.

VII. Sic etiam fieri plerumque solet, ut Propositio principalis ab incidente non distinguatur, nisi loquentis intentio observetur, ut ex. gr. si dicerem, *Brutus occidit tyrannum*, sive *Brutus occidit hominem, qui erat tyrannus*, atque ostendere vellem, Brutum ipsum de patriâ bene mereri, illa propositio, *qui erat tyrannus*, veluti principalis haberi debet: neque enim Brutus bene de patriâ meritus ostendi posset hominem occidendo, nisi occisus ille verè tyrannus fuisset; contra verò, si ostendere vellem, Brutum patrias leges violasse, reum mortis fuisse, aliudve simile, tunc illa propositio, *qui erat tyrannus*, incidens, minùsque principalis foret, unde etiamsi omitteretur, sua tamen vis argumento nostro, sive rationi constaret, quod certè in primo casu fieri non posset.

CAP.

CAP. VI.

De divisione Propositionis ratione Quantitatis.

I. Quantitas illa, quam in Propositionibus concipi, sive distingui posse jam diximus, nihil est aliud, quàm extensio propositionis ad plura, sive pauciora significanda, quatenus nempe attributum, illud, quod in propositione enunciatur, pluribus, sive paucioribus rebus inesse, vel convenire dicitur. Id autem unicè ex variâ subjecti suppositione, hoc est ampliori, sive minori illius significatione oriri observavimus.

1. Si itaque subjectum propositionis distributivè, vel collectivè supponat, hoc est, si vox aliqua universalis, quæ significandis, exprimendisque pluribus est instituta, in totâ suâ latitudine, vel extensione, nempe pro suis significatis omnibus usurpetur, tunc Propositio erit *Universalis*, ut *omnis homo est animal*.

2. Si verò disjunctivè solùm supponat, ponatur nimirum pro aliquo solùm subjecto, sed indeterminatè, & confusè, *ut aliquis homo est sapiens*, tunc Propositio *Particularis* dicetur.

3. Si deinde pro aliquo subjecto determinatè, distinctèque ponatur, ut *hic homo est justus*, aut singularis aliqua vox subjecti locum obtineat, tunc erit Propositio *Singularis*.

4. Quod si subjectum ipsum nihil expressè significet, si nullus articulus, sive signum præfi-

xum

xum fuerit, neque proinde exprimatur utrum subjectum pro omnibus, sive pro aliquo solùm significato, sive determinatè, sive confusè ponatur, tunc *Indefinita* vocabitur propositio, ut *homo est sapiens*. Hinc propositiones omnes Universales subjectum habent affectum, sive conjunctum terminis, aut signis universalibus *omnis, nullus, &c.* Particulares particularibus *aliquis, aliquis non, quidam, &c.* Singulares autem singularibus, sive demonstrativis *hic, &c.* nisi fortasse singularia nomina subjecti locum obtineant; Indefinitæ verò particulis omnibus, sive signis omnino carent.

II. Porrò, licet hæc quatuor Propositionum genera ratione Quantitatis satis appositè distinguantur, duo sunt tamen, ad quæ cetera facilè revocantur, Universalis scilicet, atque Particularis; singulares enim ad particulares ipsas ab aliquibus reducuntur, quòd istæ quoque aliquid unum tantummodo, illarum instar, significent; vel potiùs ad universales, cùm in singularibus quoque subjectum in totâ suâ latitudine, sive pro significatis omnibus (neque enim vox singularis plura, quàm unum significare potest) usurpetur; unde etiam ex tribus propositionibus universalibus, & singularibus rite conficitur syllogismus, quod ex tribus particularibus fieri non posse ostendemus. Indefinitæ verò, si fuerint in materiâ necessariâ, ut *homo est animal*, æquivalent universali, quia nempe attributum illud, quod essentialiter, ac necessariò subjecto convenit, non uni tantummodo, sed subjectis omnibus convenire debet: quod si sint in materiâ contingenti, ut *homo est sapiens*, æquivalent

par-

particulari, attributum enim, quod contingenter ipsi subjecto convenit; hoc est ita convenit, ut ab illo separari possit, vix, ac ne vix quidem subjectis omnibus conveniet. Si Propositio tamen indefinita historica fuerit, aut in materiâ doctrinali, aut si communis etiam loquendi modus spectetur, etsi contingens, æquivalere poterit universali, ut in exemplis istis apparet: *Cretenses sunt mendaces*, *Itali sunt ingeniosi*, *omnes Trojani urbis incendio periere*,

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos

Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Injussi nunquam desistant (a).

III. Quo tamen loco monuisse, atque accuratè observasse juverit, quod ex ejusmodi propositionibus, quæ *moraliter* solùm, & *historicè* universales dicuntur, illatio ad subjectum aliquod singulare fieri non potest; hoc est illud, quod in ipsis universaliter de subjectis omnibus affirmatur, affirmari quoque non potest, sine prævio quodam examine, de aliquo singulari subjecto. Cùm enim Propositio illa indefinita non omnia omnino subjecta rigorosè complectatur; fieri fortasse poterit, ut illud ipsum subjectum excludat, de quo nos ipsi differimus: ut ex. gr. ex eo quod dixerim *omnes Itali sunt ingeniosi*, inferri certè non potest, quod *Zoilus Italus sit ingeniosus*; ex eo quod dixerim *Trojanos omnes incensâ urbe periisse*, non tamen sequitur, quod *Æneas*, *ejusque pater*, *ac filius commune urbis excidium non evaserint*. Sed hæc clariora sunt, quàm ut uberiùs illustrentur. IV. Ex-

(a) *Horat. Satyr.* 3.

IV. Extremo potiùs hoc loco, cùm Universalium, atque Particularium propositionum usus in conficiendis rite syllogismis plurimus sit, quatuor vocales illas duobus versiculis subjicimus, quibus illarum propositionum varietas, atque discrimen apparet, ut altiùs adhuc memoriæ inhæreat:

Asserit A, *negat* E, *verùm generaliter ambæ:*
Asserit I, *negat* O, *sed particulariter ambæ.*

CAP. VII.

De Divisione Propositionis Ratione Qualitatis.

I. PRoximum est, ut illam denique Propositionis divisionem breviter hìc complectamur, quæ ex illius Qualitate deducitur. Cùm enim veritas ipsa, vel falsitas in propositione aliquid affirmante, sive negante veluti secundaria quædam proprietas, aut qualitas reperiatur; optimè propositio in *veram*, aut *falsam* ratione Qualitatis distingui solet. Nihil est autem, cur Propositionis veræ discrimen a falsâ nunc ostendamus, cùm facilè appareat, ut egregiè monuerat Aristoteles, quod *Unaquaque res, ut se habet ad esse, ita se habet ad veritatem* (a); atque *Orationes similiter, ac res ipsa, sunt vera* (b); unde celebre effatum illud in scholis *ex eo quod res est, vel non est Propositio dicitur vera, vel* fal-

(a) 2. *Metaphys.* (b) *Arist. lib. Periherm.*

falsa: vera nimirum est illa, quæ dicit aliquid esse, quod est; aut negat aliquid esse, quod revera non est; falsa verò, quæ dicit aliquid esse, quod non est, aut negat aliquid esse, quod est: vel ut Epicurus inquit, *Verum est, quod ita se habet, ut se habere dicitur; falsum, quod non ita se habet, ut dicitur se habere* (a).

II. Sed ut illustriùs adhuc, & accuratiùs Propositionum omnium veritas, aut falsitas deprehendatur, plurima notanda sunt circa varios sensus, aut modos, quibus aliqua propositio vera, vel falsa esse poterit, ne fortasse propositioni in illo sensu, quo falsa esse potest, temere assentiamur; aut ex opposito partem illam, aut sensum temere negemus, qui fortasse sit verus.

1. Propositio itaque vera esse potest in sensu *materiali*, vel in sensu *formali;* sive, ut scholastici loquuntur, *materialiter*, vel *formaliter*.

Tunc materialiter solùm vera esse dicitur, cum prædicatum, sive id, quod in prædicato exprimitur, & affirmatur, convenit ipsi voci subjecti, non verò rei, quæ per vocem ipsam subjecti loco positam significatur, ut *homo est nomen substantivum*. Formaliter verò, cum prædicatum de re, quæ per subjectum exprimitur, enunciatur, ut *homo est capax scientiæ*.

2. Propositio vera esse dicitur in sensu *literali*, qui nempe proximè, atque simpliciter vocibus ipsis exprimitur, ut *Ego, & Pater unum sumus* (b); vel in sensu *Allegorico*, seu *metaphorico*, ubi voces ipsæ in aliquâ translatâ, seu metaphoricâ significatione usurpantur, ut *ego sum* vi-

(a) *Apud Empyr.* (b) *Joann.*

vitis, vos palmites. Atque ii quidem ſenſus in ſacris etiam Literis obſervantur, literalis quidem in hiſtoriâ, rebuſque geſtis purè, ſimpliciter exponendis: allegoricus autem in myſteriis, diviniſque rebus, quæ vix exprimi verbis poſſent, proponendis.

Addi quoque ſolent ab Interpretibus *Anagogicus* ſenſus, atque *Moralis*, qui propriè tamen in Allegorico continentur. Si etenim Allegoricus ille ſenſus cœleſtem Patriam, & illa, quæ ſperari debent, reſpiciat, tunc *Anagogicus* appellatur, ut *Jeruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra*; & omnia ferè, quæ allegoricè de cœleſti Jeruſalem deſcribuntur. Si verò Allegoria circa mores rite inſtituendos verſetur, *Tropologicus*, ſive *Moralis* ſenſus efficitur, ut *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te*. Hinc celebres illi verſiculi de variis Scripturæ ſenſibus:

Litera geſta docet; quid credas *Allegoria*;
Moralis quid agas; quò tendas *Anagogia*.

3. Poterit inſuper aliqua propoſitio eſſe vera in ſenſu *compoſito*, ſive *diviſo*, aut è contra. Illa dicitur eſſe in ſenſu compoſito, ſive compoſitum ſenſum efficere, quæ dicit prædicatum eodem tempore convenire ſubjecto, quo ſubjectum ipſum eſt tale, neque variatur, ut ſi quis diceret *ignis eſt calidus*, efficeret hunc ſenſum *ignis quandiu eſt ignis, dum remanet ignis, eſt calidus*. Illa verò dicitur diviſum ſenſum efficere, quæ diverſa tempora reſpicit, quæ nimirum aſſerit, prædicatum convenire ſubjecto non hoc tempore, & ſtatu, ſed in alio, ut *peccator eſt amicus Dei, homo ſedens poteſt ambulare*, efficit

cit enim hunc ſenſum, quod *ubi reliquerit homo peccatum, erit amicus Dei: ubi deſierit ſedere, poterit actualiter ambulare;* ſic etiam ille, qui Deo hortorum præſidi, quem ligneum affinxerat, ait
. . . . *ligneus adſtas,*

Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto;

duplicem ſtatnæ illius ſtatum, ſive duplex tempus reſpiciebat; quemadmodum ubi moriens Auguſtus dixit ſe reperiſſe Romam lateritiam, atque marmoream relinquere (b), urbem ipſam in duplici, diverſoque tempore, conſideravit.

4. Rurſus Propoſitio vera eſſe poteſt in ſenſu *convenientiæ*, ubi tantummodo exprimat prædicatum convenire ſubjecto, vel aliquâ ratione in ſubjecto ipſo contineri, ut *homo eſt ſapiens:* vel etiam in ſenſu *identitatis*, quando nimirum exprimitur prædicatum, atque ſubjectum unam, eamdemque rem eſſe, ut *homo eſt animal rationale;* quæ propoſitiones etiam *identicæ* vocari ſolent.

5. Aliqua ſimiliter propoſitio eſt vera in ſenſu *diſtributivo*, *collectivo*, *disjunctivo*, *&c.* juxta variam ſubjecti ſuppoſitionem, varium nempe modum, quo ſubjectum ipſum ſignificat, ut in ſubjectis exemplis intelligi poteſt:

Collectiva	*Apoſtoli ſunt duodecim.*
Diſtrib. compl.	*Omne animal eſt ſenſitivum.*
Diſtrib. incompl.	*Omne Animal fuit in Arcâ Noë.*
Disjunct. conf.	*Aliquis oculus neceſſarius eſt ad videndum.*
Disjunct. determ.	*Aliquis homo eſt Imperator.*

6. Poſtremò (ne minutioribus his immoremur) Propoſitiones aliquæ, præſertim illæ, quæ uni-

(a) *Virg. Ecl.* (b) *Eutrop. de Geſt. Rom. lib.* 7.

universaliter efferuntur non in *sensu rigoroso*, ut ipsa nimirum verba significant, sed solùm in *sensu accommodo* veræ esse possunt: ut *de aliquo literarum Magistro, qui in Civitate solus est, dicimus: Omnes hìc iste literas docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo, nisi ab illo discit, quicumque ibi literas discit* (a); sic Dido inquit: *Omnibus umbra locis adero*, in iis nimirum, in quibus futurus erat Æneas.

III. Præter has regulas singulis Propositionum generibus, præsertim verò simplicibus, communes, nonnullæ quoque sunt, quæ quibusdam aliis Propositionum speciebus conveniunt. Atque, ut a Compositis exordiamur,

1. Ut integra Propositio composita copulativa, sive etiam discretiva sit vera, requiritur utramque illius partem, utramque nimirum propositionem simplicem, esse veram, ut *Pythagoras antiquior est Socrate, & Socrates antiquior Platone. Sapiens non quærit, sed fugit honores.* Si enim alterutra ex illis falsa foret, integra quoque Propositio composita falsitatis argueretur.

2. In disjunctivâ requiritur, ut alterutra solùm ex simplicibus, quibus illa componitur, sit vera, non autem utraque; quin etiam, si propositio composita verè disjunctiva fuerit, utraque illius pars verificari non potest, cùm inter illius partes non detur medium, ut *Socrates aut vivit, aut mortuus est.* Hinc, si utraque ex simplicibus vera, vel falsa esse posset, tunc integra propositio inutilis, falsa, ac vitiosa foret, ut

N ex.

(a) *Aug. de Præd. Sanct. n.* 14. *al. c.* 8.

ex. gr. si dicerem *Petrus aut currit, aut quiescit;* posset enim neque currere, neque quiescere, sed simpliciter, ac lentè moveri.

3. Caussalis, & reduplicativa non solùm exigit utramque partem esse veram, sed insuper etiam requirit, ut una pars sit alterius caussa; ut veritas nimirum secundæ propositionis oriatur tanquam ex caussâ a veritate primæ, ut *Angeli sunt beati, quia vident Deum.* Si itaque alterutra ex propositionibus simplicibus falsa foret, aut si unius veritas ex alterius veritate non sequeretur, ut ex. gr. si dicerem *homo dormit, quia est capax scientiæ; Deus creavit mundum, quia est immortalis*, tunc integra Propositio composita eludi, ac revinci posset.

4. Conditionalis denique, quemadmodum etiam relativa, requirit, ut, quamvis utraque propositio simplex sit falsa, una tamen ex aliâ sequatur; hoc est, ubi fortasse una ex illis vera esset, altera quoque verificari debeat, ut: *Si mundus ab æterno conditus fuisset, infiniti homines extitissent; ubi est pietas, ibi est honor, &c.* Quod si ex unius veritate alterius quoque veritas inferri non posset, tunc integra Propositio Conditionalis inutilis, ac falsa foret; ut ex. gr. si dicerem, *si homo haberet alas, volaret;* neque enim sufficerent alæ, ut homo volare posset, nisi etiam musculi pectori humano adderentur, quibus alas ipsas agitaret.

IV. De Incidentibus verò, sive de Complexis etiam Propositionibus nihil propemodum addendum superest, cùm omnes ferè Copulativarum leges illæ sortiantur, atque servare debeant; adeoque non aliter integra Propositio complexa ve-

vera esse possit, quàm si utraque pars, principalis nempe, & incidens vera sit: sic, ut ex. gr. sit vera hæc integra Propositio complexa *Aristoteles, qui fuit discipulus Platonis, Peripateticam Sectam instituit*, necessarium est, ut vera sit principalis, *Aristoteles Peripateticam Sectam instituit*, atque insuper etiam incidens alia, *qui fuit discipulus Platonis;* secus enim si alterutra falsa esset, integram quoque Complexam falsam esse oporteret.

V. Notandum est tamen in singulis Propositionum generibus, quod illa pars, quæcumque demum ea sit, quæ falsa fortasse fuerit, alteram quoque partem falsam esse non efficit: sicuti neque falsa putari debet aliqua Propositio, si aut consuetudine, aut ex particulari loquentis opinione, sive intentione vera esse possit, atque communiter vera videatur, ut ex. gr. cum dicitur, *Aristoteles Philosophorum omnium Princeps Alexandrum erudivit*, falsa fortasse censeri poterit ab iis, qui Platoni, vel alteri cuipiam in Philosophiâ principem locum concedunt; ex veteri tamen consuetudine vera censeri facilè poterit: quod in Antonomasiâ quoque, in titulis illis, atque nominibus, quæ honoris causâ adhibemus, aliisque id genus phrasibus est observandum; ut egregiè inquit Seneca: *Quædam, etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt; sic pyxidem & argenteam, & auream dicimus; sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum; sic qui malè vestitum, & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit*. De Benef. lib. 5. c. 13.

CAP. VIII.


De Oppositione Propositionum.

I. Proprietates illæ, quas hactenus enumeravimus, atque Propositionibus ipsis ratione Materiæ, Formæ, Quantitatis, & Qualitatis inesse diximus, *simplices*, & *absoluta* appellari meritò poterunt, quòd Propositionibus ipsis simpliciter, & absolutè spectatis conveniant, quælibet enim Propositio per se solitariè spectata necessaria, affirmativa, vera &c. esse potest. Tres insuper aliæ Proprietates in scholis enumerantur, quæ Propositionibus non solitariè, vel absolutè spectatis, sed invicem comparatis conveniunt, unde *relativa* vocari possunt. Ejusmodi verò sunt *Oppositio*, *Conversio*, & *Æquipollentia*, quarum prima, ejusque leges in præsenti capite exponentur, ceteræ verò, quæ omitti facilè poterunt, in sequentem locum conjicientur.

II. Oppositio est *Repugnantia duarum Propositionum, qua idem subjectum, idemque prædicatum habeant, sed secundùm Formam, aut Quantitatem, vel secundùm utramque simul inter se differunt*. Si Propositiones illæ conveniant in formâ, & differant in quantitate, ut si una sit universalis, altera particularis, tunc illæ dicuntur *Subalterna*, ut *omnis homo est justus*, *aliquis homo est justus:* Si conveniant in quantitate, differant autem in formâ, si nempe fuerint ambæ universales, sive particulares, sed una affir-

ma-

mativa, & altera negativa, erunt *Contraria*, vel *Subcontraria:* Contrariæ quidem si fuerint ambæ universales, ut *omnis homo est justus*, *nullus homo est justus*; Subcontrariæ verò si fuerint ambæ particulares, ut *aliquis homo est justus*, *aliquis homo non est justus*. Si denique differant in formâ simul, & quantitate, erunt *Contradictoria*, *ut omnis homo est justus*, *aliquis homo non est justus*, quæ singula Propositionum genera subjecto Schemate continentur.



III. Quod si Propositiones ejusmodi non secundùm formam, & qualitatem tantummodo, sed insuper etiam secundum qualitatem, hoc est illarum veritatem, aut falsitatem spectentur, variæ exinde leges pro illarum veritate orientur.

1. In Subalternis itaque A, I; E, O (quæ rigorosè oppositæ dici non possunt, cùm particulares in universalibus contineantur) veritas universalium infert, sive continet veritatem particu-

larium, ſed non viciſſim ex veritate particularium inferri poterit veritas univerſalium; fieri nimirum poteſt, ut aliqua particularis ſit vera, vniverſalis tamen ſit falſa, ut in exemplis iſtis apparet: *aliquis homo eſt juſtus*, *omnis homo eſt juſtus*. Falſitas tamen particularium falſas etiam efficit univerſales, licèt è contra in materiâ contingenti falſitas univerſalium falſas quoque particulares non efficiat, unde Subalternæ aliquando conveniunt, aliquando verò in falſitate, ſive veritate differunt.

2. Contradictoriæ A, O; E, I nunquam ſimul veræ, aut ſimul falſæ eſſe poſſunt; cùm vera contradictio ſit *affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem ſecundùm idem*, ideoque quod affirmatur in unâ contradictoriarum, directè negatur in alterâ; nihil autem poteſt ſimul eſſe, & non eſſe; affirmari, atque negari ſimul de eodem.

3. Contrariæ A, E ſimul quidem falſæ eſſe poſſunt in materiâ contingenti, ut *omnis homo eſt juſtus: nullus homo eſt juſtus*, nunquam tamen ſimul veræ eſſe poſſunt, alioquin etiam contradictoriæ ſimul veræ, eſſe poſſent: ſi etenim vera foret univerſalis A, eſſet etiam vera particularis I, adeòque ambæ A, I contradictoriæ, ſimul veræ forent.

4. Subcontrariæ denique ſimul in materiâ contingenti veræ eſſe poſſunt, non tamen ſimul falſæ; alioquin ſi falſa eſſet, ex. gr. I particularis, falſa quoque foret univerſalis A, adeoque contradictoriæ A, O ſimul eſſent falſæ.



CAP.

CAP. IX.

De Conversione, & Æquipollentiâ Propositionum.

I. Conversio Propositionum est *Inversio, sive reciproca mutatio subjecti in prædicatum, & prædicati in subjectum*, quando nimirum prædicatum ponitur loco subjecti, & subjectum ipsum loco prædicati, *remanente tamen illius veritate*, quamvis aliquando Propositionis extensio, vel quantitas varietur. Hinc alia est Conversio *simplex*, in quâ remanet eadem quantitas Propositionis: alia *per accidens*, in quâ mutatur quantitas, ut ex universali Propositio fiat particularis; alia denique *per contrapositionem*, quando nimirum termini, vel extrema propositionis ex *finitis*, adjectâ particulâ negativâ *non*, dicuntur fieri *infiniti*, vel potiùs *indefiniti*.

II. Ut itaque conversio in singulis propositionum generibus rite fieri possit, ita ut Propositio conversa semper sit vera, traduntur tres regulæ subjectis versibus expressæ:

E, I *simpliciter convertitur*; E, A *per accid.*
A, O *per contrap. sic fit conversio tota.*

Quod clariùs etiam in exemplis istis apparet:

E. *Nullus homo est lapis* — *Nullus lapis est homo.*

I. *Aliquis lapis est albus* — *Aliquod album est lapis.*

E. *Nullus homo est lapis* — *Aliquis lapis non est homo.*

 A. *Omnis*

A. *Omnis homo est animal — Aliquod animal est homo.*

A. *Omnis homo est animal — Omne non animal est non homo.*

O. *Aliquis lapis non est albus — Aliquod non album est non lapis.*

III. Discrimen autem illud, quod inter Propositionem universalem affirmativam, & negativam reperitur, ut nempe affirmativa simpliciter converti non possit, quemadmodum negativa convertitur, oritur ex diversâ suppositione prædicati: in affirmativâ siquidem prædicatum supponit disjunctivè, hoc est pro aliquibus tantùm significatis: ut *omnis homo est animal* efficit hunc sensum, *omnis homo est aliquod animal; sive est unum ex animalibus*, unde simpliciter illa converti non potest dicendo *omne animal est homo*. Contra verò in propositione negativâ prædicatum universaliter, sive distributivè supponit: ut *nullus homo est lapis* efficit hunc sensum *nullus homo est ullus ex omnibus lapidibus*, sive *de nullo lapide verificari potest, quod sit homo*: adeoque simpliciter illa converti sic poterit, *nullus lapis est homo*. Ejusmodi tamen leges locum non habent in propositionibus *identicis*; in quibus nimirum prædicatum, atque subjectum sunt unum, & idem, ut *homo est animal rationale*: *Angelus est Angelus*: istæ siquidem simpliciter, & absolutè converti possunt. Plerumque tamen inutiles, & nugatoriæ illæ sunt, cùm exprimant idem per idem, nihilque de re, sive subjecto affirment; nisi fortasse subjectum ipsum aliquam sui perfectionem ex institutâ consuetudine exprimat, ut ex. gr. si di-

ce-

cerem, *Cato semper fuit Cato*, efficerem hunc sensum, *Cato semper constans, æquus, sibique similis fuit*.

IV. Æquipollentia denique longè minoris, aut nullius etiam momenti, nihil est aliud, quàm *Reductio duarum propositionum oppositarum ad eumdem sensum*, quod efficitur ope particulæ negativæ *non*, quæ in contradictoriis præponitur subjecto; in contrariis postponitur; in subalternis verò præponitur simul, atque postponitur, ut hoc versiculo demonstratur:

Præ contradic. *post* contra. *præ postq.* subalter.

A. *Omnis homo est justus.*
O. *Aliquis homo non est justus.*
Non omnis homo est justus. æquipollentes

A. *Omnis homo est justus.*
E. *Nullus homo est justus.*
Omnis homo est non justus. æquipollentes

A. *Omnis homo est justus.*
I. *Aliquis homo est justus.*
Non omnis homo est non justus. æquipollentes

Sed de his plusquam satis.

CAP. X.

De Definitione.

I. Etsi Propositiones omnes, quarum naturam, discrimina, leges, proprietates omnes hactenus exposuimus, ad humanæ mentis directionem, vel ad inquirendæ veritatis studium plurimùm conferant, nulla tamen est, quæ uberiorem in disciplinis omnibus acquirendis lucem

cem afferat, quæque proinde utiliùs, atque frequentiùs adhiberi consueverit, quàm *Definitio*, de quâ præsenti loco differemus, in altero de *Divisione*, quæ proximè Definitionem ipsam sequitur, dicturi.

II. Definitio igitur nihil est aliud, quàm *Oratio, vel Propositio, per quam exponitur, & explicatur id, quod est obscurum in re, sive in nomine:* hinc duplex oritur definitionis species, alia nimirum nominis, quam Ethimologiam dicimus, quæ nomen ipsum, ejusque originem clariùs exponit, ut ex. gr. si dicerem *Angelus est nuntius*: alia rei, sive naturæ, quæ per nomen ipsum exprimitur; ut *triangulum est figura tribus lineis contenta*.

III. Plurimum autem esse primæ definitionis usum inde facilè cognosci potest, quod neque de rebus differere, neque errores ullos in disserendo corrigere unquam possemus, nisi verborum vim, sensumque perciperemus: hinc, ut egregiè admonuit Cicero: *Omnis qua a ratione suscipitur de aliquâ re disputatio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur* (a) *, alioquin de solo nomine quæstio fie-

---

(a) *Cic.* 1. *de Offic.*

* Ea res agatur, ut inter quos differitur conveniat quid sit id, de quo differitur. *Cic. Fin.* 2.

Epicurus dicere solebat diligenter oportere exprimi quæ vis subjecta sit vocibus. *Apud Cic.* 2. *de Fin.*

Id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo, ut quid illud sit, de quo disputatur, explanetur, ne vagari, & errare cogatur oratio; si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligant. *Cic. Orat. lib.* 1.

fieret, quod maximum quidem eſt vitium, ſed ejuſmodi tamen, in quod frequenter impingimus. Geometræ certè, qui ſe docere profitentur, nihil proponere, nihilque demonſtrare conſueverunt, niſi priùs accuratiſſimè vocum illarum ſenſum, quas adhibere debeant, expoſuerint, omnemque vim vocibus ipſis ſubjectam clarè, diſtinctèque oſtendere ſtuduerint; quod ſanè egregium docendi genus, ſi Philoſophis quoque æmulari licuiſſet, neque plerumque de ſolis vocibus, neque de incognitis ſolùm, ambiguis, confuſiſque rebus acriter adeo certaretur.

IV. Definitio rei, quæ optimè definitur *Oratio explicans naturam rei, ſeu quid res ſit*, longè difficilior eſt, cùm intimæ rerum naturæ obſcuræ adeo ſint, ut vix a nobis intelligi, deprehendique poſſint, aut etiamſi fortaſſe ab intellectu concipiantur, vix tamen exprimi vocibus poſſint. Sic ex. gr. dicimus; *Leo eſt animal rugibile*, quòd intimam leonis naturam, ejuſque intrinſecum, & eſſentiale diſcrimen a ceteris brutis non percipiamus.

V. Duplex autem eſt rei definitio *eſſentialis* ſcilicet, ac *deſcriptiva*.

1. Eſſentialis eſt illa, quæ explicat naturam rei per partes illas, ſive principia, quæ eſſentialia ſunt ipſi rei, hoc eſt rem ipſam ita conſtituunt, ut ſinè illis eſſe non poſſit; & *phyſica* quidem dicetur eadem definitio ſi rei naturam exprimat per principia phyſica, ut *homo eſt aliquod compoſitum ex animâ, & corpore; Metaphyſica* verò ſi per principia, vel partes metaphyſicas explicaverit, ut *homo eſt animal rationale*.

2. De-

2. Descriptiva dicitur illa, quæ rem describit, hoc est, quæ rem explicat per partes illas, perfectiones, atque principia rei, quæ non essentialiter illi conveniunt; ac, si per proprietates quidem explicet, per illa nimirum attributa, quæ inseparabiliter ipsi conveniunt, dicitur *Propria*, ut *homo est animal capax scientiæ; ignis est elementum calidissimum*, *&c.* Si per accidentia, quæ ita subjecto conveniunt, ut ab illo separari etiam possint, erit *Accidentalis*, ut *homo est animal pulcrum*, *implume*, *bipes*, *habens caput erectum*. Si denique res describatur per caussas ipsius extrinsecas, Finalem nempe, Efficientem, atque Exemplarem (intrinsecæ siquidem caussæ Materialis, & Formalis sunt essentiales, seu physicæ partes ejusdem rei) definitio *Caussalis* illa vocabitur, ut *horologium est machina facta ab artifice ad indicandas horas*.

VI. Hinc facilè apparet, definitiones omnes, quibus rerum naturam aliquâ ratione describimus, aut explicamus, constare, sive componi debere genere, & differentiâ, quibus ipsæ res, aut naturæ, veluti partibus componuntur, ut alibi demonstravimus: hoc tamen discrimine, quod in definitionibus illis, quæ essentiales dicuntur, exprimitur vera differentia, sive principium illud intrinsecum, quo res definita a quacumque aliâ re distinguatur; in descriptivâ verò propriâ veræ differentiæ locum tenet aliqua proprietas, in accidentali accidentia, in caussali denique caussæ.

VII. In omni tamen definitionum genere id maximè, atque propemodum unicè spectari debet, ut res definita a quacumque aliâ re perfectè

fectè distinguatur; adeoque, si definitio est essentialis, aut propria, sufficit exprimere unicum tantummodo attributum essentiale, sive proprietatem aliquam, quæ inseparabiliter ipsi rei definitæ conveniat: at si ponantur accidentia, vel caussæ, quæ certè pluribus communia esse solent, cùm eadem caussa plures effectus producat, & idem accidens in pluribus aliquando subjectis reperiatur, tot ex accidentibus illis, aut caussis enumerari, vel in definitione congeri debent, quot simul sumpta uni tantummodo rei definitæ conveniant, eamque a ceteris omnibus distinguant: quod observari certè potest in celebri descriptione Poliphemi apud Virgilium:

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat.

Vitiosa verò cognosci poterit illa definitio, quam Plato de homine usurpare consueverat: *homo est animal pulchrum, implume, bipes, habens caput erectum*, quemadmodum Diogenes ipse Cynicus observavit, qui gallum gallinaceum detractis plumis in medium Academiæ projecit, & quâ erat irridendi, detrahendique licentiâ ait, *en homo Platonis;* innuens, eamdem definitionem hominis a Platone traditam gallo gallinaceo convenire.

VIII. Debet insuper esse definitio neque superflua, neque diminuta, alioquin rem ipsam perfectè a ceteris non distingueret, si foret diminuta, ut si dicerem *homo est animal album;* aut ambiguitatem pareret, si esset superflua, ut *homo est animal rationale bipes*, suspicari

nem-

nempe, vel dubitare quis posset, an bipedem esse conveniret homini necessariò, vel contingenter.

IX. Requiritur etiam, ut clarior sit eadem definitio re definitâ; secus enim, si obscurior foret, mentis lumen non juvaret, sed potiùs obrueret. Hinc vitiosæ plerisque videntur celebres illæ definitiones ab Aristotele traditæ: *Tempus est numerus, & mensura motùs secundùm prius, & posterius: Qualitas est id, per quod dicimur quales: Anima est actus corporis physici organici in potentiâ vitam habentis*. Quemadmodum etiam vitiosæ, sunt definitiones omnes identicæ, in quibus explicatur idem per idem, ut *motus est translatio, sive migratio corporis*. Longèque adhuc vitiosiores sunt emphaticæ, metaphoricæ, ac veluti ænigmaticæ definitiones illæ, quæ a compluribus adhibentur, ut cum testudo definitur

Terrigena, herbigrada, domiporta, sãguine cassa.
Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis aspera,
Capite brevi, cervice anguina, aspectu truci,
Eviscerata inanima cum animali sono (a).

Sic flores risum telluris; & astra vocabis
Purpureos cæli flores, tremulosque pyropos;
Pendula flammiferi ridentia sulphura cæli (b).

X. Postremò reciproca debet esse definitio cum re definitâ, hoc est ejusmodi debet esse, ut cum re definitâ converti possit, ut quicquid nimirum de re definitâ verificatur, verificari etiam possit de definitione, quicquid è contra definitioni convenit, conveniat etiam rei definitæ; ut *Triangulum est figura tribus lateribus circumscri-*

(a) *Cic. 2. de Divin.* (b) *Sectan. Satyr. 8.*

scripta ; Figura tribus lateribus circumscripta est Triangulum ; sive *Triangulum tres angulos habet ; Figura tribus lateribus circumscripta tres angulos habet.* Et certè cùm definitio nihil sit aliud, quàm eadem res definita clariùs explicata, quicquid ipsi rei definitæ conveniet, ipsi quoque definitioni convenire debebit.

CAP. XI.

De Divisione.

I. SUpremo denique loco ceteras inter Propositionum species explicanda nobis occurrit *Divisio*, quæ cùm optimè definiri soleat *Oratio dividens totum in partes, sive explicans rem per partes* *, quemadmodum totum illud, quod in partes resolvitur, duplici modo partes ipsas habere, sive continere potest, ita duplex divisionis genus satis accommodè distingui solet.

II. Vel itaque partes illæ, quæ numerantur, aut distinguuntur, continentur actualiter in toto; ut *actuales* proinde vocari possint; sive tantummodo sunt in potentiâ, hoc est totum illas non habet quidem, sed tamen habere potest, ut *potentiales* ideo dicantur. Si partes illæ totius fuerint actuales, tunc illa divisio, quæ ipsas ab invicem separat, hoc est illas enumerat, erit *actua-*

* Faciliùs per partes in cognitionem totius inducimur: quidquid in majus crevit, faciliùs agnoscitur si discesserit in partes. *Sen. epist.* 89.

actualis; physica quidem, si partes illæ physicæ fuerint, ut *hominis alia pars est anima, alia corpus; metaphysica* verò si partes ipsæ metaphysicæ fuerint, ut *hominis alia pars est animalitas, alia rationalitas. Integralis* denique cum compositum ipsum dividitur in illas partes, quæ non ad essentiam totius, sed ad illius integritatem, & perfectionem pertinent, unde *integrales* etiam, vel *integrantes* dicuntur, ut *hominis alia pars est caput, brachia, &c.*

III. Quod si totum aliquod in partes suas potentiales dividatur, quod fieri intelligimus ubi genus in varias species, & species ipsa in varia individua dividitur, ubi nempe numerantur omnia individua, quæ in aliquâ specie, & species omnes, quæ in aliquo genere continentur, tunc erit divisio potentialis. Potentialis etiam erit divisio si distribuatur, sive dividatur accidens in subjecta, hoc est enumerentur omnia subjecta, in quibus aliquod accidens inesse poterit; aut subjectum ipsum in accidentia, nempe numerentur omnia accidentia, quæ in aliquo subjecto reperiuntur. Atque *univoca* quidem erit hæc divisio potentialis si totum divisum eodem modo partibus omnibus conveniat, ut si dividatur *animal in hominem, leonem, agnum, &c.* Æquivoca verò si modo prorsus diverso illis conveniat, ut si distinguatur *canis in cœlestem, terrestrem, marinum, &c.* Analoga denique si totum divisum aliqua similitudine, & proportione suis partibus tribuatur, ut *rex homini, leoni, lilio, aquilæ* tribui solet.

IV. Leges autem illæ, quæ in divisione servari debent, etsi plurimæ afferri possint, omnes

tamen

tamen ad quatuor facilè reducuntur, quæ ceteris utiliores sunt, & accuratiùs observandæ.

1. Primò requiritur, ut *Totum divisum majus quidem sit quâlibet sui parte separatim sumptâ, sed omnes tamen partes simul sumptæ æquales sint ipsi Toti:* divisio enim partes non destruit, sed solùm separat, unde si iterum colligantur, & uniantur debent ipsum Totum antea divisum restituere; hinc malè divideretur *Orbis in Asiam, Aphricam, Europam,* deesset enim *America*, adeoque tres illæ partes simul sumptæ Totum divisum non æquarent.

2. Hinc oritur alia regula, quod *una pars non includatur in aliâ*, alioquin inclusa pars bis numeraretur, semel scilicet expressè, iterum verò implicitè, hoc est, cum numeratur alia pars, in quâ continetur, ut ex. gr. si dicerem *Homo dividitur in brachia, caput, oculos, digitos, &c.* digiti enim in brachio, oculi in capite continentur.

3. *Debet* insuper *divisio esse brevis quantum fieri potest*, ne ex nimio partium numero confusio, & obscuritas oriatur; unde præclarè ait Seneca: *Idem habet vitii nimia quod nulla divisio: simile confuso est quicquid in pulverem sectum est* (a).

4. *Divisio* denique *fieri debet in membra proxima, & immediata*, hoc est in partes illas, quæ proximè, & immediatè, adeoque clariùs, atque distinctiùs in toto continentur: hinc malè divideretur *animal in canem, leonem, &c.*

O sed

(a) *Epist. 8. vid. Quintil. 4. c. 5.*

ſed ordinata diviſio fieri deberet in *rationale*, & in *irrationale*; deinde *irrationale* diſtingui poſſet in *aëreum*, *terreſtre*, & *marinum*, deinde ſingulæ ſpecies illæ in alias ſpecies dividi, donec ad ipſa individua tandem deſcenderetur.


Finis Secundæ Partis Logicæ.



LOGI-



LOGICÆ
PARS TERTIA.



De Discursu, & Argumentatione.



OEleftis illa, atque divina propemodum mentis humanæ vis, & ubertas, quâ naturâ ipsâ præditi sumus, licèt in singulis Operationibus illis, quas hactenus exposuimus, mirificè appareat, numquam tamen illustriùs, aut uberiùs effulget, quàm ubi Judicium aliquod ex alio Judicio mente formato deducimus, dicimurque proinde discurrere, ratiocinari, nempe vim illam, sive principium exercere, quo *rationis compotes*, aut *rationales* vocamur; quasi nimirum hac unâ mentis Operatione, veluti certo, clarissimoque discrimine a brutis homines distinguerentur. Ac certè si quis oculos, animumque conjecerit in plurima, atque

que infinitas ferè innumerabilium rerum cognitiones, quæ non in singulis modò Philosophiæ partibus, sed in ceteris quoque disciplinis omnibus continentur, is probè intelliget quanta sit hac in parte ingenii nostri vis, & acumen, cùm ingens illa, atque incredibilis Judiciorum series, ac varietas ex paucis quibusdam Judiciis, veluti fontibus uberrimè deducta fuerit. Alterâ verò ex parte miras, atque incredibiles quidem, sed tenues tamen, atque finitas ingenii nostri vires experimur; neque enim aliâ de causâ unum ex alio inferre consuevimus, nisi quòd unico mentis intuitu res omnes, quæ nobis objiciuntur, illarumque proprietates cognoscere minimè possumus, sed plures veluti in partes illas dividere, unamque seorsim ab aliâ veluti quibusdam gradibus inferre cogimur. Quo certè fieri oportuit, ut ipsa rerum obscuritas, tenuis illarum affinitas, atque connexio, præceps in inferendo celeritas nos in errores illos abduceret, quos opportuno loco exponemus, ubi in hac Tertiâ Logicæ Parte de Discursu, ceterisque omnibus, quæ ad hanc Tertiam mentis Operationem pertinent, accuratè differuerimus.

CAPUT PRIMUM.

De Discursu, & Argumentatione.

I. Celebris, atque a nobis etiam in superioribus Logicæ partibus explicandis usurpata methodus exigit, ut initio quidem de Ratiocinationis, sive Discursûs naturâ, & origine; deinde ve-

verò de Argumentatione ipsâ, quæ cum Discursu arctissimè conjungi solet, breviter, & accuratè loquamur, ex quibus omnia, quæ in hac tertiâ Logicæ Parte dicenda remanent, uberrimè oriuntur.

II. Nihil est autem aliud Ratiocinatio, sive Discursus, quàm *Cogitationis species, quâ Judicium aliquod ex alio Judicio sibi connexo, vel ex pluribus aliis infertur;* ut ex. gr. si judicaverim animos hominum spirituales, & incorporeos esse, atque inde deducam animos ipsos incorruptibiles, atque immortales esse, *discurrere* dicar, sive *ratiocinari*. Atque hinc apparet cur optimè fortasse censeri possit Ratiocinationem ipsam, sive Discursum nihil aliud esse, quàm nobilius aliquod, magisque compositum Judicii genus, quo mens nostra judicium aliquod cum alio quodam judicio comparat; atque, prout unum alteri convenire, unum in alio contineri deprehenderit, unum ex alio deducit. Simplex, & unica tamen est ejusmodi mentis operatio, quòd, licèt plura judicia complectatur; omnia tamen ut simul unita, vel solam potiùs illorum connexionem, ac dependentiam consideret, quatenus unum ex aliis oritur, atque in aliis etiam quodammodo continetur.

Judicium illud, quod est veluti fundamentum, caussa, fons, & origo alterius, ex quo nimirum judicium aliud infertur, dicitur *Antecedens:* Alterum verò, quod ex alio infertur, vocatur *Consequens;* ut si quis judicet *bonum esse amandum*, atque inde inferat *Deum amandum esse*, ex amabilitate boni, tamquam ex antecedente, sive principio, vel caussâ deduceret ama-

 bili-

bilitatem Dei tamquam aliquid aliud illi connexum, & ab illo dependens, aut ad illud consequens. Quemadmodum verò quidquid a nobis per ideas mente concipitur, vocibus, aut terminis exprimi solet; quicquid de re conceptâ, vel affirmando, vel negando judicamus, per Propositiones exprimere, vel manifestare solemus, ita quoque Discursus a mente nostrâ formatos, variis Argumentationum generibus explicamus, unde definitur optimè Argumentatio, *Oratio, in quâ Judicium aliquod ex alio, vel ex pluribus aliis illatum exprimitur*; sive etiam breviùs, *Oratio, in quâ infertur unum ex alio*. Ejusmodi verò nomen *ab argumento, sive medio*, desumptum est; quòd, ut inferiùs ostensuri sumus, non possit clarè intellectus unum ex alio inferre, sive terminum unum alteri conjungere, nisi priùs utrumque terminum cum aliquo medio, vel tertio comparaverit, quod medium, sive tertium a Logicis, atque Rethoribus etiam *argumentum* vocatur.

III. Hinc autem facilè apparet vim totam ratiocinationis non in veritate, aut falsitate judiciorum, sed solùm in illorum connexione positam esse; quemadmodum etiam veritas Argumentationis a veritate Propositionum, quibus judicia exprimimus, æstimari non debet, sed ab illarum connexione, vel dependentiâ; unde fieri aliquando potest, ut Antecedens, & Consequens sit verum, nulla tamen sit illorum consequentia, sive connexio, adeoque vitiosa sit Argumentatio; vel utrumque è contra sit falsum, & tamen unum ex alio consequatur, & optima proinde sit illatio; ut in his exemplis apparet.

Omnis

Omnis homo est albus, ergo lapis est corpus.
Omnis lapis est homo, ergo lapis est sensitivus.

CAP. II.

De variis Argumentationis speciebus.

I. Cum in discursu, vel ratiocinio efformando omnem vim exerat, & liberè expatietur mens hominum, hinc fieri oportuit, ut plurimæ Argumentationis species haberentur, quæ tamen omnes ad syllogismum, veluti præcipuum Argumentationis fontem, & caput reduci possunt. Breviter itaque singula Argumentationum genera præsenti Capite complectemur, syllogismi naturam in sequenti uberiùs tradituri. Septem verò enumerantur Argumentationis species, *Inductio*, *Exemplum*, *Dilemma*, *Sorites*, *Syllogismus*, *Enthimema*, *Epicherema*, *Prosyllogismus*.

II. Inductio est *Argumentatio, quâ ex pluribus particularibus enumeratis aliquid universale omnibus commune concluditur;* ut si quis dicat; *Canis est sensitivus, leo est sensitivus, homo est sensitivus, ergo omne animal est sensitivum;* quæ quidem illationis species frequentissimè, præsertim in physicis, atque etiam invictè adhiberi consuevit, dummodo tamen partes omnes, sive omnia singularia enumerata fuerint; alioquin nihil concluderet, ut opportuniùs alibi demonstrabitur.

III. Exemplum est *Argumentatio, in quâ ex uno singulari, aliud singulare illi simile infertur,* ut

ut cum dicimus *Divus Petrus fuit peccator*, *sed tamen pœnitentiam agens fuit salvatus*, *ergo tu quoque*, *licèt peccator*, *pœnitentiam agens salvaberis*. Verùm cautiſſimè ſpeciem hanc Argumentationis adhibendam eſſe demonſtrant errores illi, in quos facillimè impingimus, dum ex aliquo ſingulari, quodlibet aliud ſingulare inferri poſſe putamus. Maximam tamen vim habet, ac ſæpiſſime uſurpatur in iis, quæ mores rite componendos reſpiciunt, cùm plerumque mens noſtra fortiùs exemplis aliorum, quàm rationibus moveatur *. Hinc fit, ut frequentiùs in ſacris Literis *Parabolæ* adhibeantur, in quibus exemplum aliquod non verum quidem, ſed veriſimile, atque poſſibile fingitur ad rem propoſitam ſuadendam accommodatum; ut Parabola Filii Prodigi, decem Virginum, divitis Epulonis, &c. Quod ſi falſum aliquid, ac impoſſibile aſſumatur, ut cum ex. gr. rebus etiam inanimatis ſenſus & ratio conceditur, bruta animalia, vel arbores inter ſe colloquentes inducuntur, ut inde exempla, & præcepta ad mores noſtros optimè informandos traducantur, ut ex lib. Reg. 4. c. 14. & ex elegantiſſimis Phœdri, & Æſopi Fabulis apparet, tunc exemplum illud, aut Argumentatio, *Fabula*, vel *Apologus* vocatur.

IV. Paullo nobilior eſt, atque præſertim apud Geometras uſitatior Sorites, qui definitur Ar-

* Illi, qui ſimpliciter, ac demonſtrandæ rei cauſſâ eloquebantur, parabolis referti ſunt, quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſsâ, quâ Poëtis, ſed ut imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & ut diſcentem, & audientem in rem præſentem adducant. *Sen. epiſt.* 59.

Argumentatio ex pluribus Propositionibus ita coalescens, ut attributum praecedentis sit sequentis subjectum, donec prima subjectum cum praedicato ultima conjungatur, ut si probandum sit Avaros non esse felices:

Avari multa desiderant;
Qui multa desiderant multis egent,
Qui multis egent sunt miseri;
Qui sunt miseri non sunt felices;
Ergo Avari non sunt felices.

Qui prudens est, & temperans est;
Qui temperans est, & constans est,
Et qui constans est, imperturbatus est,
Qui imperturbatus est, sinè tristitiâ est,
Qui sinè tristitia est, beatus est,
Ergo prudens beatus est (a).

V. Dilemma, quod etiam cornutum argumenti genus vocatur, & a Diodoro inventum dicitur, est *Argumentatio, in quâ propositis duabus partibus, sive Propositionibus, utrâque adversarium urgemus, & id concludimus de toto, quod de singulis partibus conclusum fuerat*, quando nimirum integram Propositionem disjunctivam sic adversario proponimus, ut quæcumque demum illius pars ab ipso negata, sive concessa fuerit, semper contra ipsum concludatur; ut in celebri illo Philosophi cujusdam dilemmate, qui a Republicâ abstinendum monebat:

Vel enim, inquit, *in Republicâ quis agit benè, vel malè;*
Si benè agit offendit homines, si malè agit offendit Deum,

Er-

(a) *Seneca epist.* 85.

Ergo Rempublicam gerere semper est periculosum, adeoque fugiendum.

1. Plurimum tamen vitii his argumentationibus inesse solet; atque refelli, sive retundi facilè possunt, si propositiones illæ, quæ in Dilemmate proponuntur, non sint inter se oppositæ, neque partes omnes fuerint enumeratæ, sed aliquid medium admittant, ut in celebri Diodori Dilemmate, quo *fallaciter ratiocinabatur* (a) de motu, omnemque motum negabat: (b)

Si enim, inquit, *corpus movetur, vel movetur in loco, in quo est, vel movetur in loco, in quo non est.*

Sed non movetur in loco, in quo est, quia cùm est in loco non movetur,

Neque in loco, in quo non est; quia ubi corpus non est neque moveri, neque quiescere potest,

Ergo corpus nullibi movetur;

Ergo non datur motus.

Siquidem inter has duas conditiones, vel circumstantias, altera adjungi debet, quâ corpus moveatur in loco, in quo est, & in loco simul, in quo non est; plura enim loca ad motum efficiendum requiruntur.

2. Vitiosum est etiam Dilemma cum ejus partes falsæ sunt; ut in primo exemplo; constat enim, quod ideo a Republicâ abstinendum non est, quòd hominibus fortasse displiceamus.

3. Postremò cavendum est, ne Dilemma in arguentem ipsum retorqueri possit, ut fieri potest in primo exemplo.

CAP.

(a) *Arist. lib. 6. Phys.* (b) *Empyr. adv. Phy. 2.*

CAP. III.

De Syllogismo, ejusque speciebus.

I. Ex variis Argumentationum generibus superiùs enumeratis principem locum syllogismo deberi jam diximus, tum quòd in ipso rationis nostræ vis maximè appareat, tum etiam quòd Argumentationes omnes ex illo oriri, atque pendere videantur.

II. Definitur autem syllogismus *Oratio, in quâ quibusdam positis aliud quiddam distinctum ab iis, quæ posita sunt, necessariò sequitur, ex eo quod hæc posita sint;* sive clariùs, *Oratio, in quâ infertur unio duorum terminorum inter se, ex eo quod fuerint uniti cum uno tertio.* Quod ut clariùs intelligi possit, observari maximè debet, non aliâ de caussâ syllogismum, aut ceteras etiam argumentationis species institutas esse, nisi ut Propositionum illarum, quæ a nobis efformatæ, vel probatæ fuerint, veritas ostendatur; tunc etenim in nobis ipsis, aut in aliorum mente scientia, sive cognitio certa, ac evidens producitur. Cum verò Propositio quædam nobis probanda, vel ejusdem veritas demonstranda nobis proponitur, nihil est aliud, quod a nobis præstari debeat, nisi ut ostendamus illius prædicatum convenire cum subjecto; quod cùm intellectui nostro ideas illas prædicati, vel subjecti consideranti, non statim appareat, neque distinctè concipiatur a nobis arctissimus ille nexus, & unio, quæ inter prædicatum, & subjectum

ctum esse debet, hac utitur arte mens nostra, ut antea compaiet ideas illas inter se conjungendas cum tertiâ quadam ideâ; atque, si utrumque terminum, utramque ideam cum aliâ tertiâ, vel mediâ ideâ conjungi, vel convenire deprehenderit, inter se quoque illas conjungi, vel convenire pronuntiat, axiomatis illius lumine, quod totius artis syllogisticæ fundamentum est; *Quæ conveniunt cum uno tertio, conveniunt etiam inter se;* aut si unam quidem ex illis cum tertiâ convenire, alteram verò non convenire deprehenderit, tunc ideas ipsas inter se non convenire pronuntiat vi alterius principii, *Ea, quorum unum convenit cum aliquo tertio; aliud verò non convenit, inter se non conveniunt.*

III. Quo certè fieri oportuit, ut tres solùm termini, vel ideæ in syllogismo esse possint, quarum duæ inter se conjungi debeant, & insuper alia tertia, cum quâ utraque comparetur, & seorsim conjungatur. Fieri etiam debuit, ut tribus etiam propositionibus syllogismus constaret, in quarum primâ, quæ *Major* dicitur, conjungatur majus extremum, hoc est prædicatum, cum medio; in alterâ minus extremum, sive subjectum cum eodem medio termino, unde illa *Minor* vocatur; In tertiâ denique inferatur unio minoris cum majori extremo, subjecti nimirum cum prædicato, ac proinde *Conclusio* dicitur: ut si probanda foret hæc propositio, *Deus est immortalis*, utramque ideam *Dei*, & *immortalis* cum ideâ *rei spiritualis*, *vel substantiæ incorporeæ*, tamquam cum tertiâ quadam, mediâ, communi ideâ conferrem; atque, ubi utramque cum illâ convenire deprehendissem,

mo-

modo jam explicato syllogismum efformarem, conjungendo nimirum in primâ propositione majus extremum, sive prædicatum cum medio; tùm in secundâ subjectum, vel minus extremum cum eodem medio; in tertiâ denique extrema, vel terminos inter se, ut

Omnis substantia spiritualis est immortalis,
Sed Deus est substantia spiritualis,
Ergo Deus est immortalis.

IV. In quo animadverti facilè potest, conclusionem ipsam, sive propositionem omnem probandam, quæ etiam *quæstio* dici solet, in alterutrâ præmissarum, nimirum vel in majori, vel in minori contineri, idque in aliâ præmissâ declarari, ut ex. gr. conclusio *Deus est immortalis* continetur in hac aliâ universali *Omnis substantia spiritualis est immortalis*, quod autem revera contineatur, declaratur in aliâ Propositione cum dicimus, *Deus est substantia spiritualis.*

Postremò hinc confirmari potest quod antea diximus tres esse oportere syllogismi judicia, sive propositiones, in quarum primâ exprimatur unio, & convenientia prædicati cum medio; in secundâ unio subjecti cum eodem medio; in tertiâ denique inferatur unio subjecti cum prædicato.

V. Non omnes tamen Propositiones semper exprimi solent, aut debent; sed alterutra ex ipsis propositionibus, quæ clarior est, aliquando reticetur, ita ut syllogismus in mente quidem sit integer, & perfectus, truncatus tamen, & imperfectus proferatur, unde *Enthimema* vocatur, ut

Deus est substantia spiritualis,
Ergo Deus est immortalis.

Sub-

Subintelligitur enim hæc alia propoſitio univerſalis *omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt immortalis*, quam veluti certiorem mente retinemus, atque ab adverſario facilè concedendam ſupponimus.

VI. Quod ſi non ſolùm tres propoſitiones in ſyllogiſmo exprimantur, ſed alterutri quoque, vel etiam utrique præmiſſæ probatio adjungatur, tunc Epicherema vocabitur; ut

Omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt immortalis,
Eſt enim corruptionis incapax,
Sed mens hominum eſt ſubſtantia ſpiritualis,
Cùm modo ſpirituali operetur,
Ergo mens hominum eſt immortalis.

VII. Proſyllogiſmus denique fit cum priori ſyllogiſmo jam efformato, ita ſyllogiſmus alter ſubjungitur, ut prioris ſyllogiſmi concluſio fiat major poſterioris, ut ex. gr.

Omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt immortalis,
Sed Deus eſt ſubſtantia ſpiritualis,
Ergo Deus eſt immortalis,
Sed omne immortale finem habere, vel interire non poteſt,
Ergo Deus finem habere, vel interire non poteſt.



CAP.

CAP. IV.

De Figuris, & Modis syllogisticis.

I. HActenus cum Philosophis, hoc est ingenuis, honestisque hominibus, inquirendæ veritatis amore incensis rem nobiscum fuisse duximus; atque illa proinde breviter complexi sumus; quæ variis argumentationum generibus rite adhibendis satis erant futura. Nunc adeunda nobis est alia docendi ratio; illorumque præceptorum series exponenda, quæ contra subdolos, fallaces, otiosos, contentiosos * homines est inventa. Is etenim antiquioribus seculis mos fuerat, ut perditi quidam Sophistæ in hoc omnes ingenii vires, atque operam collocarent, ut ingenuos homines fallacibus, ambiguisque vocibus circumvenirent; atque argumentationibus illis sæpissime uterentur, quæ, cùm aliquam veri speciem præseferrent, incautos animos in errorem abducerent; cujusmodi plures a Diogene Laërtio, aliisque Scriptoribus memorantur, atque inter ceteros Protagoras ille Abderites, qui Eristicam, sive *contentiosam* Sectam, disputandique rationem instituit (a); & Eubulides etiam, qui varia fallaciarum genera invenit, *Mentientis*, *Fallentis*, *Electræ*, *Obvelati*, *Acervalis*, *Cornuti*;

(a) *Ex Laërt. 9.*

* Græci homines contentionis cupidiores, quàm veritatis. *Cic. de Orat. lib. 1.*

nuti, *Calvi*; *quemadmodum* Stoici *Crocodilum*, *Metentem*, *ignavumque sermonem* excogitarunt (a); Hinc contra illorum argutias a gravissimis quoque Viris præcepta quædam excogitanda, vel statuenda fuere, ad quæ, veluti ad lydium lapidem, argumentationes omnes conferri possent; atque, si præceptis his responderent, tamquam certa, ac legitima admitterentur, sin verò contra leges, ac præcepta peccarent, omnino tamquam pura sophismata sive, ut vocari deinde consueverunt, *Fallaciæ formæ syllogisticæ* rejicerentur. Itaque factum est, quod sapientissimi Viri factum meritò queruntur, ut inanium hominum nugis, quæ contemni potiùs, & irrideri * debuerant, is honor haberetur, ut ille doctissimus videretur, qui sophismata meliùs effingeret; ille acutioris ingenii, qui sophismata statim solvere posset; his hebetis contra, tardiorisque, qui ad propositam argutiam hæreret, aut verborum laqueis irretiretur; omnes verò de præceptis iis, sive legibus seriò, accuratèque cogitarent, quibus hæc ineptissima superbientium sophistarum gloriola compesceretur. Atque ejusmodi quidem leges, tamquam inutiles hìc a nobis omitti fortasse poterant; si etenim Judicii nostri, sive discursûs vis animo concepta, atque accuratè perpensa non animo decipiendi, vel incautis auribus imponendi (*ne-*
fas

(a) *Laert.* 9. (b) *Plato in Gorgia.*

* Diffilio risu cum mihi propono syllogismum, & aptas illi facies tanquam pictor assigno. Hæc disputamus attractis superciliis, fronte rugosâ: Non possum hoc loco non dicere illud Cæcilianum: O tristes ineptias! ridiculæ sunt. *Senec. epist.* 113.

fas est enim eum, qui veritati studeat, in aliquâ re esse fallacem; atque ab ipsâ, quam sequitur, veritate discedere (a)) sed ingenuo solùm inquirendæ, manifestandæque veritatis amore * nitidis, perspicuisque vocibus exprimatur, nihil est aliud certè, quo clariùs, & illustriùs judicii, vel argumentationis nostræ bonitas ostendatur, cùm ipsa nimirum per se menti nostræ quodammodo effulgeat: atque, si ambiguis vocibus, aliove sophismate veritas obnubatur, frustra plerumque minutiores illæ leges adhibeantur, ut ab illis liberetur *.

Ne tamen hanc Dialecticæ partem, cui maximam in discurrendo vim, atque mysteria quædam inesse plurimi opinantur, temere omittere videamur, hanc quoque breviter hìc exponemus; eâ tamen lege, ut si illam quis jure suo præterire, vel resecare voluerit, quatuor sequentia Capita prorsus omittat, atque ad num. 4. VIII. Capitis rectà se conferat, ubi universalior quædam regula demonstrabitur, quâ cujuslibet argumentationis, præsertim verò syllogismi bonitas intelligi, ostendique poterit. Verùm ut receptâ, jam communique methodo utamur.

P II. Du-

(a) *Lactant. lib. 6. Instit. c.* 18.

* Hæc sit propositi nostri summa, quod sentimus, loquamur, q od loquimur, sentiamus. *Sen. epist.* 85.

* Perspicuitas magnam habet vim, ut ipsa per sese ea, quæ sint, nobis, itaut sint, indicet. Sed tamen, ut maneamus firmiùs, & constantiùs in perspicuis, majore quadam opus est vel arte, vel diligentiâ, ne ab iis, quæ clara sint ipsa per sese, quasi præstigiis quibusdam, & captionibus depellamur. *Cic. Acad. Quæst.* 4.

II. Duplex, ut antea diximus, in syllogismo *materia* distingui debet, Termini nimirum, atque Propositiones; istæ quidem materia proxima, & immediata dicuntur, cùm ex illis proximè, & immediatè syllogismus componatur; Termini verò dicuntur esse materia remota, ac mediata, quòd nonnisi remotè, nempe ratione Propositionum, syllogismum ipsum componant.

Quia verò ut syllogismus efficiatur non satis est, ut plures Propositiones, aut Termini promiscuè congerantur, sed insuper ordo quidam, ac dispositio inter Propositiones ipsas, ac Terminos requiritur, ut ex ipsis judicium aliquod clarè, distinctèque inferri possit; hinc duplicem etiam syllogismi *formam*, vel dispositionem distinguimus, alteram quidem materiæ proximæ, seu propositionum, quam *Modum syllogisticum* vocamus; aliam verò materiæ remotæ, sive terminorum, quæ *Figura syllogistica* dici solet.

III. Nihil aliud est igitur Figura syllogistica, quàm *dispositio medii termini cum extremis apta ad concludendum*. Quadruplex autem est ejusmodi dispositio, sive Figura syllogistica, cùm totidem modis extrema conjungi possint; vel enim subjicitur medium in majori, & prædicatur in minori propositione, eritque *prima Figura*; vel medium ipsum prædicatur in majori, simulque in minori, & est *secunda*; vel subjicitur in utrâque, & est *tertia*; vel denique prædicatur in majori subjicitur in minori, & *quartam* Figuram constituit, juxta hos versiculos:

Sub præ Prima, *sed* altera *bis præ*; Tertia *bis sub*;
Quarta figura tamen primæ contraria *præ sub*.

Ple-

Plerique tamen existimant quartam Figuram, quam a Galeno inventam, sive frequentiùs adhibitam scribit Averroës (a), quamvis in Galeni operibus, nihil de ipsâ memoretur, ideoque Platoni verisimiliùs ab aliis tribuatur, tamquam inutilem, & subinde fallacem ex aliarum numero rejiciendam esse, cùm præsertim nihil sit, nisi inversio primæ. Verum cùm, ut optimè ab aliis est observatum, id illi commune sit cum tertiâ, & secundâ Figurâ, quæ ad primam per inversionem facilè reducuntur, & in quibus etiam aliquando falsum concluditur, ipsa quoque ceteris adjungi, vel inter ceteras enumerari meritò poterit.

IV. Leges autem illæ, & regulæ, quæ circa Terminos sunt observandæ, quatuor enumerantur; quæ quatuor etiam versiculis continentur

Terminus est triplex, major, mediusque, minorque.
Latiùs hunc, quàm præmissa, conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
Aut semel, aut iterum medium generaliter esto.

1. Illud itaque in figuris omnibus accuratissimè cavendum est, ne plusquam tres termini in syllogismo reperiantur, remotâ quâcumque amphibologiâ, æquivocatione, &c. ut enim superiùs ostendimus, tota ars syllogistica in hoc est posita, ut duo termini inter se conjungantur ex eo quod fuerint uniti cum uno tertio; unde vitiosè quis ita argueret

Omnis homo est substantia,
Sed omnis arbor est substantia,
Ergo omnis homo est arbor.

P 2 Nam

(a) *In lib.* 1. *Prior. Analyt. c.* 8.

Nam *homo*, & *arbor* conjungerentur in præmissis non cum eodem medio, vel eâdem, sed cum duplici, & diversâ *substantiâ*.

2. Secundò requiritur, ut terminus non sumatur generaliùs, sive universaliùs in conclusione, quàm in præmissis; quandoquidem a singulari ad universale non valet illatio; atque eodem prorsus modo termini debent inter se conjungi in conclusione, quo fuerant uniti cum tertio in præmissis; unde vitiosè sic argueretur

Petrus est albus,
Sed Petrus est homo,
Ergo omnis homo est albus.

3. Tertiò, ut medius terminus nunquam in conclusione reperiatur; syllogismus enim in hoc consistit, ut ostendatur in præmissis extrema convenire cum medio; indeque inferatur in conclusione illa convenire etiam inter se, adeoque in conclusione sola extrema conjungi, vel reperiri debent.

4. Quartò medium saltèm in aliquâ præmissarum supponere debet distributivè, hoc est universaliter accipi pro omnibus suis significatis; terminus enim universalis, qui disjunctivè supponit, quodammodo dividitur, ac virtualiter fit multiplex, adeoque non remanet unicum medium, ut in superiori syllogismo

Omnis homo est substantia,
Sed omnis arbor est substantia,
Ergo omnis homo est arbor.

cùm illa vox *substantia* semper particularem sensum, efficiat, cùmque affirmetur hominem esse aliquam substantiam, arborem quoque esse aliquam substantiam, inferri deinde non potest quod homo, & arbor sint eadem substantia.

CAP.

CAP. V.

De Modis syllogisticis.

I. Quemadmodum ex diversâ dispositione medii cum extremis quatuor figuræ syllogisticæ superiùs explicatæ oriuntur, ita cùm pluribus modis Propositiones ipsæ, vel formâ, vel quantitate, vel utrâque simul inter se differentes combinari, disponique possint, multiplex etiam Modus syllogisticus esse debet. Cùm verò quatuor vocales illæ A, E, I, O, quibus Propositiones formâ, vel quantitate diversæ exprimuntur, si tres simul sumantur, 64. modis ordinari, vel combinari possint, totidem quoque modi syllogistici, ut in subjecto Schemate, distingui solent.

	A A A	—	E A A	—	I A A	—	O A A
†	A A E		E A E	†	I A E	—	O A E
	A A I	—	E A I		I A I	—	O A I
†	A A O		E A O	†	I A O		O A O
—	A E A	*	E E A	—	I E A	*	O E A
	A E E	*	E E E	—	I E E	*	O E E
—	A E I	*	E E I	—	I E I	*	O E I
=	A E O	*	E E O	**	I E O	*	O E O
—	A I A	—	E I A	*	I I A	*	O I A
†	A I E	—	E I E	*	I I E	*	O I E
	A I I	—	E I I	*	I I I	*	O I I
†	A I O		E I O	*	I I O	*	O I O
—	A O A	*	E O A	*	I O A	*	O O A
—	A O E	*	E O E	*	I O E	*	O O E
—	A O I	*	E O I	*	I O I	*	O O I
	A O O	*	E O O	*	I O O	*	O O O

 II. Ve-

II. Verùm, si singulæ regulæ, ac leges superiùs traditæ, & hìc etiam tradendæ consulantur, facilè ostenditur plurimos ex his Modis inutiles ac vitiosos esse, cùm alicui, aut etiam pluribus ex his regulis adversentur.

Ejusmodi verò Regulas, quæ in modis syllogisticis servari debent, cùm plurimùm necessariæ sint, ut vitiosi a sinceris syllogismis discernantur, his versibus complecti libuit, ut magis memoriæ consuleretur.

Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
Utraque si præmissa neget nihil inde sequetur.
Sit parti similis conclusio deteriori.
Ambæ affirmantes nequeunt generare negatem.

1. Requiritur itaque primò, ut alterutra saltèm præmissarum in omni Figurâ sit universalis, vel singularis, nam ex puris particularibus nihil concluditur. In præmissis enim particularibus medius terminus semper disjunctivè sumitur: hinc vitiosè argueretur

Petrus est aliquis homo,
Sed aliquis homo est imperator,
Ergo Petrus est imperator.

2. Secundò necessarium insuper est, ut alterutra ex præmissis sit affirmativa; quia ex puris negativis nihil inferri potest; ex eò quod enim duo extrema non conveniant cum uno tertio, non potest inferri, quod non conveniant inter se; fieri siquidem interdum potest, ut inter se. conveniant, quamvis cum uno, eodemque medio non conveniant, ut ex. gr. si diceretur:

Nullus homo est lapis,
Sed Petrus non est lapis,
Ergo Petrus non est homo.

3. Re-

3. Requiritur etiam tertiò, ut Conclusio sequatur partem, sive præmissam debiliorem, hoc est vel negantem, vel particularem: nam extrema neque universaliùs, neque alio diverso modo inter se in conclusione conjungi debent, quàm conjuncta fuerint in præmissis cum tertio; unde si in aliquâ præmissarum vel negativè, vel particulariter cum medio conjuncta fuerint, non possunt universaliter, & affirmativè uniri inter se in conclusione; vitiosè itaque concluderetur

Omnis sapiens est honorandus,
Sed aliquis homo est sapiens,
Ergo omnis homo est honorandus.

4. Postremò requiritur, ut si præmissæ fuerint affirmativæ, etiam conclusio sit affirmativa, nam si extrema cum aliquo tertio conjunguntur, inter se quoque conjungi debent.

III. Hinc facilè apparet ex 64. modis possibilibus antea expositis, 28. modos, quos hoc signo (*) notavimus, expungi debere, quòd duabus negativis, aut particularibus constent. Rursus 18. hoc signo (—) notati vitiosi sunt, quòd in ipsis conclusio debiliorem partem non sequatur. Sex insuper alii, quibus hoc signum (†) apposuimus, quòd ex præmissis affirmativis conclusionem negativam inferant. Modus I E O, quem ita (* *) distinximus, similiter expungi debet, quòd prædicatum in Conclusione negativâ latiùs significet, ac universaliùs supponat quàm in præmissâ affirmativâ. Inutilis denique est modus A E O, quem ita (=) distinguimus, quippe qui continetur in A E E, particularis nimirum in universali. Rejectis itaque his 54. modis, quos vitiosos, & inutiles esse ostendimus, so-

lùm decem utiles, & concludentes ſuperſunt, videlicet

Affirmativi	*Negativi*
A A A	A E E
A A I	A O O
A I I	E A E
I A I	E A O
	E I O
	O A O

IV. Sed quia ex eodem modo ſyllogiſtico, propter diverſam medii diſpoſitionem ſingulis figuris propriam, plures alii modi oriuntur; hinc in omnibus ſimul quatuor figuris novemdecim modi utiles reperiuntur his artificioſis vocibus expreſſis

I. *Barbara Celarent Darii Ferio* IV. *Bamalipton Camentes Dimatis Feſapno Frreſiſomorum*
II. *Ceſare Cameſtres Feſtino Baroco* III. *Darapti*
Felapton Diſamis Datiſi Brocardo Feriſon.

A A A *Barbara*
A A I *Darapti*, *Bamalipton*
A E E *Cameſtres*, *Camentes*
A I I *Darii*, *Datiſi*
A O O *Baroco*
E A E *Celarent*, *Ceſare*
E A O *Felapton*, *Feſapno*
E I O *Ferio*, *Feſtino*, *Feriſon*, *Freſiſomorum*
I A I *Diſamis*, *Dimatis*
O A O *Brocardo*.

CAP.

CAP. VI.

De singulis syllogismorum Figuris, earumque regulis.

I. Satis, ut opinor, atque accuratè jam diximus de regulis illis, quas omnes syllogismorum figuræ servare debent, nunc illas breviter subjectis etiam exemplis complectemur, quæ singulis syllogismorum figuris conveniunt.

II. Atque, ut a primâ figurâ exordiamur, duæ sunt illius leges, quæ hoc versiculo continentur:

Sit minor affirmans, major verò generalis.

1. Minor itaque affirmativa esse debet, quia si esset negativa, conclusio quoque deberet esse negativa; cùmque ex tribus negativis nihil sequatur, major deberet esse affirmativa, adeoque medius terminus universalior esset in conclusione negativâ, quàm in majori affirmativâ contra reg. 3. Figuræ syllogisticæ, ut

Omnis homo est animal,
Sed nullus leo est homo,
Ergo nullus leo est animal.

2. Major verò debet esse universalis, quia si esset particularis, medium, quod est illius subjectum, esset particulare, adeoque particulare foret medium ipsum etiam in minori affirmativâ, cujus est prædicatum, & proinde ambæ præmissæ particulares essent, ex quibus nihil inferri posset, ex reg. 1. Modi syllogistici, ut

Ali-

Aliquis lapis est albus,
Sed aliquis berillus est lapis.
Ergo aliquis berillus est albus.

Ex decem itaque modis ad concludendum aptis, quatuor solùm in primâ figurâ sunt utiles, reliqui nempe sex contra regulas peccant.

A E E contra regulam primam cùm minorem
A O O negativam habeant.

A A I quia conclusionem universalem habere
E A O possunt, & æquivalent aliis AAA. EAE.

I A I contra regulam secundam, quia ma-
O A O jor particularis est.

Utiles verò sunt quatuor sequentes.

1. A A A	Bar-	*Omne animal est sensitivum,*
	ba-	*Omnis homo est animal.*
	ra.	*Omnis homo est sensitivus.*
2. E A E	Ce-	*Nullus spiritus est mortalis,*
	la-	*Omnis Angelus est spiritus,*
	rent.	*Ergo nullus Angelus est mortalis.*
3. A I I	Da-	*Omne corporeum est corruptibile,*
	ri-	*Aliquis lapis est corporeus,*
	i.	*Ergo aliquis lapis est corruptibilis.*
4. E I O	Fe-	*Nullum vitium est amandum,*
	ri-	*Avaritia est vitium,*
	o.	*Ergo avaritia non est amanda.*

Hæc autem figura huic principio innititur. *Quidquid universaliter affirmatur, vel negatur de aliquo, negari etiam debet, vel affirmari de omni, quod continetur sub illo;* adeoque si prædicatum affirmatur de medio, affirmari etiam debet de subjecto, quod continetur in ipso medio; vel, si de medio negatur, negari etiam poterit de subjecto.

III. Duas

III. Duas itidem regulas habet secunda figura, hoc versu contentas:

Una negans esto, nec major sit specialis.

1. Debet una ex præmissis esse negativa, quia cùm medium in utrâque præmissarum sit attributum, vel prædicatum, si ambæ forent affirmantes, bis medium particulariter sumeretur.

2. Et si major esset particularis, majus extremum, quod est illius subjectum, sumeretur in ipsâ particulariter, in conclusione verò negante universaliter. Itaque ex decem modis vitiosi sunt isti

A A A	
A I I	cùm utraque præmissa sit affirmativa
I A I	contra regulam primam
A A I	
O A O	quia major est particularis contra regulam secundam.
E A O	quia universalis fieri potest, ut E A E.

Igitur quatuor tantùm modi utiles supersunt in secundâ figurâ.

1. E A E	Ce-	*Nulla virtus est contemnenda,*
	sa-	*Sed omnis injustitia est contemnenda,*
	re.	*Ergo nulla injustitia est virtus.*
2. A E E	Ca-	*Omne corpus est figuratum,*
	me-	*Nullus spiritus est figuratus,*
	stres.	*Ergo nullus spiritus est corpus.*
3. E I O	Fe-	*Nulla substantia corporea est Angelus,*
	sti-	*Aliquis spiritus est Angelus,*
	no.	*Ergo aliquis spiritus non est substantia corporea.*

4. A O O

4. A O O Ba- *Omnis homo est animal*,
ro- *Aliquis lapis non est animal*,
cò. *Ergo aliquis lapis non est homo.*

Secunda figura huic alteri principio innititur: *Ea, quorum unum convenit cum aliquo tertio, alterum verò non convenit, non sunt unum & idem inter se*; ut in superioribus exemplis apparet.

IV. Tertia figura has habet regulas:

Sit minor affirmans, conclusio particularis.

quemadmodum enim in primâ figurâ minor affirmativa esse debet, eâdem quoque ratione affirmativa esse debet in tertiâ. Conclusio verò particularis debet esse, quia cùm minor affirmans sit, minus extremum, quod in illâ èst prædicatum, particulariter sumitur, adeoque ut sumatur etiam particulariter in conclusione, cujus est subjectum, debet esse conclusio particularis: unde colligitur quatuor ex decem modis in hac figurâ inutiles esse, nimirum

A E E quia minorem negativam habent contra regulam primam
A O O

A A A quia conclusionem universalem habent contra regulam secundam.
E A E

Utiles verò sex sequentes.

1. A A I Da- *Omne animal est sensitivum*,
ra- *Omne animal est substantia*,
pti. *Ergo aliqua substătia est sensitiva.*

2. E A O Fe- *Nullum animal est arbor*,
la- *Omne animal est corpus*,
pton. *Ergo aliquod corpus non est arbor.*

3. I A I Di- *Aliquis homo est justus*,
sa- *Omnis homo est animal*,
mis. *Ergo aliquod animal est justum.*

4. A I I

4. A I I Da-ti-si. *Omnis planta est vivens,*
Aliqua planta est fructifera,
Ergo aliquod fructiferum est vivens.

5. O A O Bro-car-do. *Aliquis flos non est albus,*
Omnis flos est vivens,
Ergo aliquod vivēs non est album.

6. E I O Fe-ri-son. *Nulla gemma est immortalis,*
Aliqua gemma est pretiosa,
Ergo aliquod pretiosum non est immortale.

Duobus principiis syllogismi tertiæ figuræ innituntur.

1. Si affirmativi sunt huic: *Attributa, quæ eidem subjecto conveniunt, inter se quoque aliquando conveniunt,* ut constat in *Darapti*.

2. Si verò negativi sint, huic alteri, *Attributa, quorum unum alicui subjecto convenit, cui non convenit aliud, inter se aliquando non convenire possunt,* ut apparet in *Felapton*.

V. Quartà figura demum tres regulas habet, quæ his versibus exprimuntur:

Major ubi affirmat generalem sume minorem;
Si minor affirmat, conclusio sit specialis;
Cùmque negans modus est, tunc major sit generalis.

1. Ratio primæ regulæ est, quòd cùm medium in majori affirmativâ, cujus est prædicatum, sumatur particulariter, ne in minori quoque, cujus est subjectum, particulariter sumatur, minor esse debet universalis.

2. Secundæ, quod majus extremum, cùm sumatur particulariter in minori affirmativâ, cujus est prædicatum, particulariter etiam in con-

conclusione, cujus est subjectum, sumi debet, sive conclusio debet esse particularis.

3. Tertiæ verò, quod si modus est negativus, hoc est, si sumatur majus extremum, seu prædicatum universaliter in conclusione negante, debet etiam sumi universaliter in majori, cujus est subjectum, adeoque illam reddere universalem.

Quamobrem ex decem modis quinque sequentes in quartâ figurâ, ut vitiosi, expungi debent

A I I quia minor est particularis
A O O contra reg. 1.

A A A quia conclusio est generalis
E A E contra reg. 2.

O A O quia major est particularis
contra reg. 3.

Utiles verò sunt quinque sequentes.

1. A A I Ba- *Omnis homo est animal,*
ma- *Omne animal est sensitivum,*
lipton. *Ergo aliquod sensitivũ est homo.*

2. A E E Ca- *Omnis Avaritia est vitium,*
men- *Nullum vitium est amandum.*
tes. *Ergo nullum amandum est Avaritia.*

3. I A I Di- *Aliquis homo est sapiens,*
ma- *Omnis sapiens est Dei amicus,*
tis. *Ergo aliquis Dei amicus est homo.*

4. E A O Fe- *Nullum corpus est leve,*
sa- *Sed omne leve tendit sursum,*
pno. *Ergo aliquid tendens sursum non est corpus.*

5. EIO

5. E I O Fre- *Nullus lapis est vivens,*
si- *Sed aliquid vivens est plāta.*
somorum. *Ergo aliqua planta non est lapis.*

VI. Aristoteles tamen, aliique complures, cùm quartam hanc figuram, veluti inutilem, rejecissent, loco quinque superiorum modorum, qui in illâ concludunt, quinque modos indirectos primæ figuræ reposuerant, in quibus nempe invertitur subjectum conclusionis propositæ, ut fiat illius prædicatum, ut ex his vocibus, & exemplis apparet:

. . . . *Baralipton*
Celantes Dabitis Fapesmo, Frisesomorum.
Ba- *Omne animal est sensitivum,*
ra- *Omnis homo est animal,*
lipton. *Ergo aliquid sensitivum est homo.*

Quod in ceteris etiam exemplis superiùs expositis intelligi facilè potest.

Sed quemadmodum in primâ figurâ oriuntur modi indirecti ex inversione conclusionis modorum directorum, ut in exemplis istis apparet

Bar- *Omne animal est vivens.*
ba- *Omnis homo est animal,*
ra. *Ergo omnis homo est vivens.*

per inversionem conclusionis fit

Ba- *Omne animal est vivens,*
ra- *Omnis homo est animal,*
lipton. *Ergo aliquod vivens est homo.*

ita prorsus in secundâ quoque figurâ syllogismus converti potest, ut

Ce- *Nulla arbor est homo,*
sa- *Omne risibile est homo,*
re. *Ergo nullum risibile est arbor.*

Ce-

Ce- *Nulla arbor est homo*
lan- *Omne risibile est homo,*
tes. *Ergo nulla arbor est risibilis.*

Adeoque non satis apparet, cur quinque modos indirectos in primâ solùm, non in aliis figuris adjecerint, atque utiles quartæ modos expunxerint. Verùm non est cur de re per quàm tenui tandiu solliciti simus.

VII. Ut omnia verbo complectar ex XIX. modis in figuris omnibus concludentibus reperiuntur.

V. Universales.
XIV. Particulares.
VII. Affirmativi.
XII. Negativi.
I. Concludens in A.
IV. Concludentes in E.
VI. Concludentes in I.
VIII. Concludentes in O.
III. Concludentes singuli in unâ solùm figurâ.
IV. Quorum singuli in duabus figuris concludunt.
I. Concludens in omnibus quatuor figuris.



CAP.

CAP. VII.

De Reductione, & Probatione Syllogismi.

I. SI cui fortasse mirum videbitur, quod ex pluribus syllogismorum modis, quos hactenus recensuimus, exiguus adeo sit illorum numerus, qui utiles sint, ac rite concludant; magis adhuc mirari poterit, cum plures etiam ex istis imperfectos esse intelliget, atque indirectè solùm concludere; ut proinde ad alios, qui directi, perfectique fuerint, reduci debeant.

II. Id autem cùm duobus modis fieri possit, duplex est etiam syllogismi *Reductio*, alia scilicet *ostensiva*, alia *per impossibile*. Reductio *ostensiva* est *Revocatio syllogismi imperfecti ad perfectum*. Imperfectus autem dicitur ille, qui aut indirectè concludit, nimirum per conversionem Propositionis, ut quinque modi primæ figuræ, quos a Peripateticis enumerari jam diximus; aut si directè concludat, id efficit obscurè, ut omnes modi aliarum figurarum. Debent igitur isti omnes reduci ad quatuor modos primæ figuræ, *Barbara Celarent Darii Ferio*, qui soli sunt perfecti, cùm in ipsis conclusio perspicuè, distinctèque inferatur.

III. Quâ verò ratione syllogismus imperfectus ad perfectum reducatur, ex vocibus ipsis, quibus designantur, apparet.

1. Primò siquidem reduci debet ad illum, qui eâdem literâ incipit, ut *Cesare* ad *Celarent*.

2. Deinde, ut Propositio per aliquam ex quatuor vocalibus significata rite convertatur, notanda est consonans illa, quæ immediatè sequitur eandem vocalem, & facienda est conversio juxta leges hoc versiculo expressas:

S. *vult simpliciter verti; P verò per accid.*
M. *vult transponi; C per impossibile duci.*

hoc est propositio significata per vocalem illam, quæ præcedit consonantem S, converti debet simpliciter; quæ præcedit P, per accidens; quæ præcedit M, transponi debet, idest fieri major si est minor, minor si est major, &c. Cùm denique vocalis præcedit C, syllogismus reduci non potest ostensivè, sed solùm ad impossibile, quod subjectis etiam exemplis illustriùs fiet.

Fe- *Nullus homo est lapis*,
sti- *Aliquis adamans est lapis*,
no. *Aliquis adamans non est homo.*
Fe- *Nullus lapis est homo*,
ri- *Aliquis adamans est lapis*,
o. *Aliquis adamans non est homo.*

sic reducitur Cesare ad Celarent; Datisi, Dimatis, ad Darii, &c.

IV. Reductio ad impossibile fit, cum negatæ propositionis contradictoriam assumimus, ut illa combinata cum unâ præmissarum jam concessâ concludat contradictoriam alterius præmissæ negatæ, ut adversarius proinde duas contradictorias concedere compellatur. Quamvis autem hæc Reductio in singulis figuris, & modis adhiberi possit, maximè tamen necessaria est in Baroco, & Brocardo, qui ostensivè reduci nequeunt.

1. Nam si ostensivè reduceretur Baroco, aut major illius per accidens converteretur, adeoque

que utraque præmissa foret particularis; aut transponeretur, ideoque major esset particularis, quod est contra regulas primæ figuræ.

2. Similiter etiam si Brocardo ostensivè reduceretur, vel minor per accidens converteretur, sicque utraque præmissa foret particularis; aut transponeretur, sicque minor esset affirmativa contra aliam regulam primæ figuræ. Itaque solùm ad impossibile reduci possunt. Subjectis autem versiculis ostenditur quænam præmissarum in modis illis retinenda sit, atque combinanda cum assumptâ contradictoriâ propositionis negatæ.

Majorem servat, variatque Baroco *minorem*,
Majorem variat, servatque Brocardo *minorem*.

Ceterùm ejusmodi regulæ vix ullius sunt usûs, aut utilitatis, nam quispiam ferrei oris, aut præfrictæ frontis, qui primam conclusionem negavit in syllogismo rite disposito, etiam secundam conclusionem negaret in syllogismo quomodocumque reducto.

V. Reliquum est, ut de Probatione, quæ est altera syllogismi proprietas dicamus; hæc autem fieri solet, cum quis concessâ utrâque præmissâ conclusionem negat; tunc enim bonitas syllogismi per principia clarissima probari debet. Si fuerit affirmativus, principia affirmativa sunt adhibenda: *Quæ conveniunt cum uno tertio conveniunt inter se. Quidquid affirmatur universaliter de aliquo, affirmari debet de omni, quod continetur sub illo.* Ut si quis concessis præmissis negaret conclusionem hujus syllogismi:

Omne bonum est amandum,
Deus est bonus,
Ergo Deus est amandus.

 sic

sic argumentarer : *Quæ conveniunt uni tertio conveniunt inter se ; Tu concedendo utramque præmissam concessisti Deum , & amandum convenire cum bono , ergo debes etiam concedere illa convenire inter se ; adeoque Deum esse amandum.*

Sive *Quidquid affirmatur universaliter de aliquo affirmari debet de omni , quod continetur sub illo , sed tu concessisti de bono universaliter quod sit amandum , ergo concedere id etiam debes de Deo , quem concessisti contineri sub bono.* Eâdem ratione syllogismo negativo hæc principia negativa applicantur : *Quidquid negatur universaliter de aliquo , negari etiam debet de omni , quod continetur sub illo. Ea , quorum unum convenit cum uno tertio , & aliud non convenit , non sunt unum , & idem inter se , sive inter se non conveniunt &c.*

CAP. VIII.

De Syllogismis Simplicibus, Complexis, & Conjunctivis.

I. LEges illæ, quas hactenus explicavimus, de structurâ, Probatione, ac Reductione syllogismorum, de solis syllogismis simplicibus intelligi debent, in quibus pertractandis, rectèque efformandis adhiberi facilè possunt : Paullo nunc operosior est cognitio syllogismorum, quos complexos dicimus; cùm vix unquam, aut egrè saltèm ad regulas generales superiùs traditas reduci possint.

II. Syllogismus autem simplex dicitur ille, in quo medium cum utroque extremo, vel ter-

mi-

mino propositionis integro conjungitur in præmissis, ut in exemplis omnibus superiùs exhibitis apparet, atque etiam in hoc syllogismo

Omne animal est vivens,
Omnis homo est animal,
Omnis homo est vivens.

Quod si pars aliqua solùm subjecti, vel prædicati conclusionis complexæ cum medio conjungatur in majori, & altera pars in minori, tunc syllogismus complexus dicitur, ut

Sol est res insensata,
Persæ adorabant solem,
Ergo Persæ adorabant rem insensatam,

constat enim, quod *adorabant rem insensatam &c.* partim continetur, & exprimitur in majori, partim in minori.

III. Hinc verò tota illa obscuritas oritur, ac difficultas, quam in syllogismis ejusmodi explicandis experimur. Ex. gr. si dicerem

Divina Lex jubet Patrem esse honorandum,
Sed Petrus est Pater,
Ergo Lex divina jubet Petrum esse honorandum.

syllogismus iste, qui certè complexus est, plerisque vitiosus videri poterit, quòd sit in secundâ figurâ, & præmissas affirmativas habeat, contra leges ejusdem figuræ. Verùm quis non videat syllogismum hunc, aliosque similes invictè concludere?

Ratio autem est, quod in majori *Pater* non est prædicatum, sed est subjectum alterius propositionis implicitæ, vel incidentis; unde major hunc sensum efficit, *Lex divina jubet, quod Pater sit honorandus*. Sicuti conclusio hunc alium sensum similiter facit: *Lex divina jubet, quod Pe-*

Petrus sit honorandus, unde sic clariùs institui potest syllogismus

Lex divina jubet quod Pater sit honorandus,
Sed Petrus est Pater,
Ergo Lex Divina jubet, quod Petrus sit honorandus.

quarum propositionum vis, ut alibi diximus, cum de propositionibus incidentibus ageremus, in his aliis continetur, & clariùs etiam exprimitur:

Pater est honorandus,
Sed Petrus est Pater,
Ergo Petrus est honorandus.

Sic iste in secundâ figurâ

Omnis sapiens est gratus hominibus,
Sed pauci sunt grati hominibus,
Ergo pauci sunt sapientes.

vitiosus est, sed huic alteri concludenti æquivalet,

Omnis sapiens est gratus hominibus,
Sed multi non sunt grati hominibus,
Ergo multi non sunt sapientes.

Postremò plures syllogismi optimi sunt, licèt ex puris negativis conponantur, ut

Quod non est corporeum non est corruptibile,
Anima rationalis non est corporea,
Ergo anima rationalis non est corruptibilis.

quia nimirum minor, quæ videtur negans, revera affirmativa est, atque huic alteri æquivalet: *Anima rationalis, est aliquid, quod non est corporeum, &c.* Complexos itaque syllogismos istâ ratione ad simplices revocabimus, ut illorum vim, ac bonitatem probare possimus. Quia tamen hoc etiam longum nimis, atque prolixum est, rem universam ex alto repetentes regulam quam-

quandam, ac principium universale hic adjungemus, quo bonitas syllogismorum omnium, tam simplicium; quam complexorum examinari, detegi, ostendique possit.

IV. Ex syllogismi naturâ semel, atque iterum in superioribus explicatâ, & ex principiis illis, quibus innititur ars syllogistica, manifestissimè apparet, syllogismum duabus præmissis componi oportere; quarum una conclusionem, vel propositionem probandam continere debet, altera verò debet explicare, quod conclusio ipsa in aliâ præmissâ revera continetur; unde in syllogismo distingui posset præmissa *continens*, & præmissa *indicans*, vel *explicans*. Quoties igitur in syllogismo, vel simplex ille sit, vel compositus, conclusio in alterâ præmissarum continetur, & in alterâ declaratur, vel indicatur esse *contenta*, syllogismus ille concludet, licèt illius figura, & modus obscurus, implexus, perturbatus, ac vitiosus etiam appareat: sicuti contra syllogismus ille vitiosus haberi debet, qui legem ejusmodi non servat, maximam licèt veri speciem, figuræ, modique ordinem præseferat.

V. In syllogismis quidem affirmantibus perinde est majorem, vel potiùs minorem *Continentem* vocari, cùm revera conclusio in utrâque præmissarum contineatur; major tamen, quæ universalior est, *continens* verisimiliùs dicitur, & minor *indicans*. In negativis verò præmissa negans est *continens*; nam conclusio negativa in præmissâ affirmativâ contineri non potest; atque præmissa affirmativa est indicans, ut in exemplis istis apparet:

 Omne

Omne bonum est amandum,
Virtus est bona,
Ergo virtus est amanda.
Nullum vitium est bonum,
Avaritia est vitium,
Ergo Avaritia non est bona.

VI. Atque hujus principii lumine longè accuratiùs, clariùs, securiùs, quàm per innumeras regularum ambages syllogismi omnes etiam intricatiores expendi possunt; sic iste:

Lex Divina jubet colendos esse Patres,
Petrus est Pater,
Ergo Lex Divina jubet Petrum colendum esse.

optimus est, quia conclusio in majori continetur, idque in minori explicatur, seu declaratur. Quod si dixerim

Lex Divina jubet Regibus parendum esse,
Parentes non sunt Reges,
Ergo Lex Divina non jubet Parentibus parendum esse.

vitiosa est conclusio, cùm in neutrâ præmissarum contineatur; decretum enim de obedientiâ Regibus exhibendâ non continet aliud præceptum de obedientiâ Parentibus non exhibendâ, sive non excludit præceptum aliud de obedientiâ præstandâ Parentibus. Rursus eâdem ratione hic esset vitiosus:

Credendum est Scripturæ,
Traditiones non sunt Scriptura,
Ergo non est credendum Traditionibus.

sic statim apparet falsitas hujus syllogismi.

Deus promisit salutem Christianis,
Sed Ethnici non sunt Christiani,
Ergo Deus non promisit salutem Ethnicis.

quia

quia Conclusio in præmissis non continetur. Sic & in celebri syllogismo, qui a D. Augustino memoratur: *Quod ego sum tu non es; ego sum homo, ergo tu non es homo*, conclusio in neutrâ præmissarum continetur; nam *homo*, qui in conclusione negante sumitur universaliter, contineri non potest in illâ voce *homo*, quæ est prædicatum minoris affirmativæ, in quâ particulariter accipitur.

Idem postremò dici potest de syllogismo ex tribus negativis, aut particularibus composito.

VII. Ex iis autem, quæ diximus, facilè intelligi potest, quid sit syllogismus *Conjunctivus*, & in quo differat a simplici, & a complexo. Ille nimirum syllogismus conjunctivus dicitur, cujus major propositio est conjunctiva, sive quomodocumque composita, & integram conclusionem complectitur. Ex pluribus tamen speciebus propositionum compositarum tres solùm syllogismos conjunctivos efficiunt, ac denominant, nempe conditionalis, copulativa, & disjunctiva.

1. Syllogismus conditionalis est ille, qui habet pro majori compositam conditionalem, vel affirmativam, ut

Si Petrus sapientiam habet, est felix,
Sed Petrus sapientiam habet,
Ergo Petrus est felix.

vel negativam, ut

Si dies non est non lucet sol,
Non est dies,
Ergo non lucet sol.

Innititur autem syllogismus ille prior affirmativus huic principio: *Posito antecedente ponitur consequens; sive verum est antecedens, ergo etiam*
con-

consequens; ficuti hic posterior negativus alteri principio negativo: *Sublato antecedente tollitur consequens;* five *falsum est consequens, ergo & antecedens, &c.* Atque in utroque tota vis syllogismi posita est in connexione antecedentis cum consequente: unde, si nulla foret talis connexio, ex consequente non posset inferri antecedens; unde vitiosus esset hic

Si canis cogitat cognoscit,
Sed canis cognoscit,
Ergo canis cogitat.

Similiter *si currit movetur, non currit, ergo non movetur*, vitiosus est, nam ex negatione antecedentis infertur negatio consequentis, quod fieri non potest.

2. Copulativus est ille, cujus major est propositio copulativa negans; atque ita disponitur, ut una pars illius in minori assumatur, & affirmetur, ut altera in conclusione negetur, sic *Non bene conveniunt, nec in unâ sede morantur majestas, & amor*, sed *hic est majestas, ergo hic non est amor*.

3. Syllogismus denique disjunctivus majorem habet disjunctivam, ut: *Falleris, aut fallor; non fallor, falleris ergo.* Ubi apparet alteram partem majoris assumi, & negari in minori, ut alia affirmetur in conclusione.

Vitiosus est syllogismus iste si partes non sint verè disjunctivæ, & oppositæ, sed aliquid medium admittant, vel utraque vera esse possit; ut

Aut currit, aut sedet,
Non sedet, ergo currit.

nam inter *sedere*, & *currere* datur medium, hoc est *lentè moveri, &c.* Verùm de his satis.

CAP.

CAP. IX.

De Inventione Medii, & Locis Topicis.

I. FRustra, ut opinor, atque inutiliter hactenus leges illæ præscriptæ forent, quibus extrema propositionis cum medio conjungi debeant, nisi methodus illa, vel artificiosus ordo demonstraretur, quibus investigari ille possit, ostendique quibus ex fontibus, quibusque locis desumi debeat *. Quam quidem Logicæ, sive Dialecticæ partem cum oratoriâ communem veteres omnes egregiis adeo laudibus, ac studiis prosecuti sunt, ut plerique mysteria quædam illi inesse suspicarentur. Hinc Cicero Stoicorum Logicam reprehendit, quòd apud ipsos altum foret de locis silentium. Aristoteles VIII. Libris Topicorum partem hanc uberrimè pertractavit. Rhetores omnes, atque Philosophi hac in parte mirificè consentiunt, seque intellectui nostro præclarè consuluisse arbitrantur, cum plurima ostenderint loca, ex quibus argumenta, vel media desumantur.

II. Verùm, ut ingenuè loquar, hanc de argumentorum inventione doctrinam inutilem esse ma-

* Cùm omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi, utriusque princeps, ut mihi videtur, Aristoteles fuit; Stoici autem in alterâ elaboraverunt. Judicandi enim viam diligenter persecuti sunt, eamque scientiam, quam Dialecticam appellant. Inveniendi verò artem, quæ Topicæ dicitur, quæ ad usum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totam reliquerunt. *Cic. init. Topic.*

manifestè demonstrat exiguus illius per tot secula, quibus & inventa fuit, & in scholis tradita, usus. Si enim Caussidici, Rhetores, Concionatores, Poëtæ, illique omnes consulantur, qui perorant, scriptitant, quibusque semper aliquid superest, quod dicatur, vereor, ut vel unus inveniatur, qui vel somniaverit de locis a caussâ, ab effectibus adeundis, ad ea invenienda, quibus dicendo uti posset; unde rectè monuit Quintilianus: *Illud quoque studiosi eloquentia cogitent non esse, cum proposita fuerit materia dicenda, scrutanda singula, & veluti ostiatim pulsanda loca, ut sciatur an ad id probandum, quod intendimus, fortè respondeant* (a); quod pluribus etiam in locis egregiè demonstravit Augustinus: atque Orator, idemque Philosophus summus Cicero antea dixerat: *Non omnia quacumque loquimur mihi videntur ad artem, & ad pracepta esse revocanda. At isti quidem, qui docent, cùm caussas in plura secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt; quod etiamsi ad instituendos adolescentulos magis aptum est, ut simul ac posita sit caussa habeant quò se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere; tamen & tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre, & jam atatis est, usùsque nostri a capite, quod velimus, arcessere, & unde omnia manant videre* (b). *Quis enim unquam orator magnus, & gravis cùm iratum adversario judicem facere vellet, hasitavit ob eam caussam, quòd nesciret quid esset iracundia, fervorne mentis,*

(a) *Vid. Art. Cogit, Par.* 3. *c.* 17. (b) *Cic. ad Herenn. lib.* 2.

tis, an cupiditas puniendi doloris? Quis cùm ceteros animorum motus aut judicibus, aut populo miscere, atque agitare vellet, ea dixit, quæ a Philosophis dici solent (a)?

Ne tamen a receptâ Scholarum consuetudine omnino recedere videamur, aut ereptam sibi differendi artem fortasse quis suspicetur, loca omnia hìc exponemus, atque principia, seu leges, quibus innituntur: rationem insuper ostendemus, quâ adhiberi illa possint. Loca itaque, vel Grammatica sunt, vel Logica, vel Metaphysica.

Loca Grammatica.

GRammatica dicuntur illa, quæ ab Ethymologiâ, vel a Conjugatis ducuntur; hoc est ab iis legibus, sive præceptis, quæ de Conjugatis, ac Ethymologiâ traduntur a Grammaticis. Ejusmodi verò principia, vel leges sunt:

Ab Ethymologiâ, sive notatione nominis.

DE quo affirmatur Ethymologia, sive definitio nominis, affirmari etiam potest nomen ipsum. Ut ex. gr. *Consul est, ergo consulere debet reipublicæ; Philosophus fuit Pythagoras, ergò & amator sapientiæ. Si Consul est, qui consulit patriæ, quid aliud fecit Opimius* (b)?

De quo negatur Ethymologia, nomen ipsum negari potest. *Non est amator sapientiæ, igitur neque Philosophus.*

A Con-

(a) *Cic. ad Herenn. lib. 2.* (b) *Cic. de Orat. lib. 2.*

A Conjugatis.

DE quo verificatur unum ex conjugatis, alterum quoque verificatur: Ut *Socrates justitiam habuit, ergo fuit justus. Dii boni sunt, eorum igitur bonitate est utendum* (a).

Sive de quo negatur unum ex conjugatis, negatur, & aliud; *Porphyrius fidem non habuit, ergo fuit infidelis.*

Loca Logica.

LOgica verò dicuntur illa, quæ desumuntur a legibus, atque principiis illis, quæ in variis Logicæ partibus sunt demonstrata; unde principia solùm, & leges ejusmodi simpliciter hìc exponemus, exempla verò, & rationes, quibus eadem principia innituntur, facilè ex iis deduci poterunt, quæ suis in locis opportunè jam diximus.

A Genere.

QUidquid affirmatur, sive negatur de genere, affirmari quoque, vel negari debet de specie.

Posito genere, non semper ponitur species.

Remoto tamen genere semper destruitur, sive removetur & species.

A Specie.

POsitâ speciè, ponitur quidem genus; non tamen destructâ, sive remotâ aliquâ specie tollitur etiam genus. De-

(a) *Cic. de Nat.* 3.

Destructis, sive sublatis omnibus speciebus, ipsum quoque genus destruitur.

A Differentiâ.

CUi convenit, sive repugnat differentia, species quoque convenit, aut repugnat; & è converso cui species repugnat, aut convenit, ipsa quoque differentia repugnat, aut convenit.

Quidquid speciei convenit, sive repugnat, differentiæ quoque convenire, vel repugnare debet; & è converso, quidquid repugnat, aut convenit differentiæ, convenire etiam debet, vel repugnare speciei.

A Proprio, sive Adjunctis.

UBi reperitur proprietas, sive adjunctum, inspectis naturæ viribus, reperitur etiam substantia; atque ubi reperitur substantia, proprietas etiam inesse debet.

Ubi proprietates, aut adjuncta eadem, vel similia sunt, eadem quoque, vel similis substantia esse debet; & è converso substantias similes, similes quoque proprietates, & adjuncta comitantur.

A Definitione.

QUidquid exprimitur in Definitione, rei definitæ convenire debet.

Quidquid convenit, sive repugnat definitioni, rei quoque definitæ convenit, sive repugnat; & è converso.

A Di-

A Divisione, sive a Toto, & a Partibus.

PArs semper minor est toto, sed totum est æquale partibus omnibus simul sumptis.

Quidquid de partibus omnibus simul sumptis verificatur, etiam de toto diviso verificari debet, & è converso.

Quidquid de aliquâ parte verificatur, verificari quoque debet de toto; sed non è converso.

Posito toto ponuntur partes omnes;& è converso partibus omnibus simul positis, ponitur etiã totum.

Cui nulla pars divisionis convenit, nec etiam totum divisum convenire potest.

Quod convenit toti diviso, neque convenit omnibus illius partibus, unâ exceptâ, enumeratis, eidem ipsi parti, quæ excepta fuerat, convenire debet.

Loca Metaphysica.

MEtaphysica denique loca sunt illa, quæ deducuntur ex principiis, sive proprietatibus illis, quæ in Metaphysicâ exponi plerumque solent, quamvis etiam in Physicâ commodè pertractentur. Ejusmodi verò loca, sive principia Ens ipsum in genere, ejusque proprietates, & affectiones respiciunt; ut clariùs ex præceptis ipsis apparebit.

Ab ideâ entis.

QUodlibet est, vel non est.

Nihil potest simul esse, & non esse.

Quidquid in ideâ alicujus rei clarè, distinctèque concipitur est verum, sive convenit eidem rei.

Quid-

Quidquid repugnat ideæ claræ, distinctæque alicujus rei, illi convenire non poterit.

A Veritate, vel Falsitate.

VErum non potest sequi nisi ex vero; & viciffim ex vero nisi verum sequi potest. *Hæc mirabilia videri intelligo; sed cum certè superiora firma, ac vera sint, his autem ea consentanea, & consequentia, ne de eorum quidem veritate est dubitandum* (a).

Falsum oriri, vel sequi non potest nisi ex falso; & ex falso oriri, vel sequi non potest nisi falsum. *Necesse est enim esse falsa, quæ rebus falsis congruunt* (b); *& a falsis initiis profecta vera esse non possunt* (c). *Teneamus itaque illud necesse est: cum consequens aliquod falsum sit, illud, cujus id consequens sit, non posse esse verum* (d).

A Caussâ, & Effectu.

OPerari sequitur ad esse, & ipsi proportionatur.

Caussa, quæ dat esse rei, sive producit effectum, semper est prior eâdem re, sive semper præcedit effectum; effectus autem semper posterior est caussâ.

Caussa nobilior nobiliorem, ceteris paribus, effectum producit.

Nobilior, sive perfectior effectus a nobiliori caussâ produci debet.

(a) *Cic. de Fin.* 3. (b) *Lactant. Instit.* 3. *cap.* 24. (c) *Cic.* 1. *de Fin.* (d) *Idem* 4. *de Fin.*

Caussa caussæ est etiam caussa caussati, vel effectûs, qui ab istâ causâ producitur.

Nihil producere potest seipsum, sive dare sibi esse, vel esse caussa sui ipsius.

Nemo dat quod non habet.

Effectus propriâ causâ nobilior esse non potest.

Effectus in causâ, aliquâ ratione, contineri debet.

Propter quod unumquodque est tale, & illud est magis tale, si tamen ejusdem qualitatis, aut perfectionis capax sit.

Posito effectu, poni, vel assignari debet & caussa.

A Pari, sive Simili, aut Dissimili.

Similibus similia, paribus paria conveniunt, & è converso dissimilia dissimilibus. *Quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic sapientissimi Viri fortunæ impetum persæpe superare non possunt* (a). *Cum fateantur in vitiis satis magnam vim esse ad miseram vitam, nonne fatendum est eandem vim in virtute esse ad beatam vitam* (b)?

A Relatis.

Posito, sive sublato alterutro relativorum, ponitur, sive aufertur etiam aliud.



(a) *Cic. ad Q. Fratr.* 1. (b) *Cic. Tuscul.* 5.

A Contrariis, & Privantibus, & Contradicentibus.

CUi convenit unum ex contrariis, five privativis, aliud etiam diverfo tamen tempore convenire poteft.

Contraria, five Privativa, five Contradictoria fimul effe non poffunt.

A majori ad minus, vel ad minori ad majus.

QUi facere poteft, aut cui convenit majus, facere etiam poterit, five illi conveniet etiam minus; & è contra cui minus repugnat, repugnabit etiam majus.

Ut corpus redimas ferrum patieris, & ignes,
Arida nec fitiens ora levabis aqua:
Ut valeas animo quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hac corpore majus habet (a).

Ab Authoritate, Teftimonio, feu Tabulis.

QUidquid a Deo revelatur, eft certum, ac infallibile.

Quidquid foli teftimonio, vel opinioni hominum innititur, eft incertum.

Quidquid ab omnibus hominibus fapientibus, peritis, probis, nullo affectu, nullâ utilitate incenfis affirmatur, eft verum.

Quidquid ab antiquis, probatis, finceris, genuinis hiftoriis, lapidibus, nummis, monumentis deducitur, eft certum.

R 2 VI. Hæc

(a) *Ovid. de Remed.* 1.

VI. Hæc, aliaque id genus plurima ſunt principia, quorum ope, ſeu lumine ex aliquo aliquid aliud inferri poterit; ſive ex quibus veluti fontibus immenſa ferè cognitionum noſtrarum ſeges oriri ſolet. Atque uberes adeo, felices, ingeniti, copioſique ſunt, ut illorum vis, & utilitas ipſa per ſe nobis effulgeat, quamvis illi anxiè non inquirantur: quemadmodum, ut antea dicebamus, ex illis ipſis argumenta, cognitioneſque deducimus, etſi nihil de ipſis, illorumque vi cogitemus. Qui tamen hæc ipſa fuſiùs, aut alia plurima fortaſſe deſideret, eos adire poterit, qui longâ de his oratione diſſerunt. Vereor tamen ne ipſum aliquando pœniteat, aut pudeat certè in re non utili, neque plurimùm neceſſariâ longiorem operam collocaſſe *.

Finis Tertiæ Partis Logicæ.



LOGI-

* Audi quantum mali faciat nimia ſubtilitas. Illi non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verùm, iſti oculos mihi effodiunt. *Seneca epiſt.* 88.



LOGICÆ
PARS QUARTA.




De Methodo.



Um in inquirendæ Veritatis ſtudio, cujus amore univerſam ferè Dialecticam inſtitutam eſſe jam diximus, objecta plurima concipi, vel ab intellectu noſtro apprehendi debeant, plurima de rebus judicia, propoſitiones, & argumenta plurima formari debeant, ne ingens adeo idearum varietas, judiciorum, propoſitionumque numerus, tanta denique argumentorum ſeries confuſionem, obſcuritatemque pareret, quâ tenue mentis noſtræ lumen obrui fortaſſe, vel extingui etiam poſſet, optimo, ſapientiſſimoque conſilio plurimi ex veteribus, recentioribuſque Philoſophis ceteris Logicæ partibus, quibus Idearum, Judiciorum, Argumentationumque leges, natura, & origo, uberrimè demon-

strantur, aliam quoque, veluti coronidis loco, addiderunt, quæ clariùs ostenderet, quâ methodo, quo rerum ordine hæc omnia disponi debeant, ut occulta veritas aliqua investigetur, aut certè jam inventa ceteris ostendatur; vitia denique, vel errores, qui aut in inquirendæ, aut in demonstrandæ veritatis studio irreperent, cautissimè declinentur. Cujus quidem partis, quam postremo loco nunc explicandam aggredimur, præstantia, & utilitas, si pro rei dignitate laudanda foret, vereor, ne superioribus Logicæ Partibus, quas hactenus longâ, gravique operâ prosecuti sumus, nimium detrahere videamur. Quamvis enim sæpius, atque opportunè fuerit observatum, subtiles idearum, propositionum, argumentationumque leges ad veritatem aliquam detegendam, & comprobandam plurimùm conferre, illud tamen ingenuè fatendum est, longè uberiores in disciplinis omnibus comparandis, illustrandisque fructus ex regulis istis haberi, quas in hac quartâ Logicæ Parte traditurí nunc sumus, quàm ex ceteris ejusdem partibus, quarum præcepta vix, aut ægrè saltem adhiberi feliciter solent, nisi illis ex hac ipsâ methodo perspicuus ordo, ac plurimus splendor accesserit. Itaque primò de Methodi naturâ, necessitate, ejusque generibus differemus; tum leges ipsius, aut vitia complectemur; illius postremò finem, aut fructum, Scientiam nimirum, Veritatemque exponemus.



CA-

CAPUT PRIMUM.

De Methodi Naturâ, ac Divisione.

I. Methodus, ut ipsa vox exprimit, nihil est aliud, quàm *via brevis, aut ordinata ratio inveniendi veri, ipsiusve, cùm inventum fuerit, exponendi* *. Quemadmodum enim antea dicebamus, eâ de causâ Methodus est instituta, ut mens nostra varias ideas, judicia, argumentationesque ita disponeret, ut illarum ope, quibusdam veluti gradibus, ad Veritatem ipsa contenderet, aut alios certè feliciter, facem quasi præferens, deduceret.

II. Hinc celebris exoritur quæstio: Utrum Methodus quarta quædam a ceteris distincta cogitationis species haberi debeat, an verò potiùs Methodus ipsa ad Perceptionem, sive ad Judicium, tanquam illarum perfectio, referri possit. Plurimi certè existimant, novam hanc esse cogitationis speciem a ceteris omnino distinctam, cùm neque aliquid percipiat, neque judicet, neque unum inferat ex alio, sed perceptiones, judicia, discursus antea formatos dirigat, ordinet, inter se conferat, illorumque vitia, si quæ fortasse fuerint, detegat. Quemadmodum itaque Judicium a Perceptione, Discursus a Judicio distinguitur; quamvis in discursu judicium, atque in judicio perceptio contineatur, ita quoque Methodus a ceteris cogitationis speciebus, optimè distinguetur; quamvis illa ceteras cogita-

* Non solùm scire aliquid artis est, sed quædam ars etiam docendi. *Cic. de Leg. 2.*

tiones ante formatas ſupponat, ac quodammodo complectatur.

III. Veriſimilius eſt tamen Methodum a ceteris cogitationis ſpeciebus diſtingui non oportere, cùm ad Judicium poſſit, ac Perceptionem ipſam commodè revocari. Ac certè dum intellectui mira quædam, & incredibilis percipiendi vis, & facultas ineſſe dicitur, non ſolùm ſimplices rerum imagines intueri, reſque ipſas, & objecta contemplari illum poſſe intelligimus, verùm etiam aſſerimus, & experimur, quod ordinem, ſeriem, nexum, aut repugnantiam, quæ inter ideas ipſas, atque judicia, & diſcurſus reperitur apprehendere, ac intueri poteſt; adeoque mens noſtra, Methodum adhibere dicitur, ubi varios rerum ordines, illarum ſeriem, & nexum accuratè perpendit, quòd ſolâ Perceptione, ſive primâ cogitationis ſpecie veluti reflexâ, ac perfectiori præſtare poterit. Similiter etiam ad ſecundam mentis operationem, ſive ad Judicium non tantùm pertinet, ideam aliquam cum aliâ ſibi conveniente conjungere, aut ab aliâ repugnante ſejungere; verùm etiam Judicium aliquod cum alio conveniens conjungere, aut ſi contraria, vel repugnantia illa fuerint, ſejungere; ex pluribus etiam ideis, judiciis, argumentationibus, quæ melior, & opportunior fuerit, ſeligere; errores denique, qui in vitioſâ judiciorum, argumentationumque unione, vel ſerie reperiuntur, oſtendere; quæ ſingula ad Methodum pertinere, atque ab illâ præſtari debere jam diximus. Quemadmodum itaque diſcurſus ipſe, quo plura judicia ſimul conjungimus, atque ad propoſitionem aliquam rite demonſtrandam

dam componimus, veluti perfectior quædam Judicii species censeri posse putavimus, ita Methodus ipsa, quâ ideas, judicia, argumentationesque disponimus; tanquam nobilior, ac reflexa magis, sive composita judicii species haberi commodè poterit.

IV. Ceterùm sive distincta cogitationis species, sive nova quædam illarum proprietas, atque perfectio dicenda sit Methodus, perinde est: maximè siquidem ad accuratam rerum cognitionem ipsam conferre, adeoque post cetera illam tradi, vel explicari oportere manifestissimè demonstratur. Quid enim prodesset varias idearum, terminorum, propositionumque genera, atque proprietates cognoscere, quibus obscuritas aliqua, sive confusio ex ipso illarum numero, ac varietate inesset? quâ ingenii laude plurimos aliquis syllogismos effunderet, quos nullus ordo, nulla connexio ad propositam veritatem dirigeret? quo denique fructu de variis, subtilibusque syllogismorum legibus, atque figuris quispiam sollicitus foret, qui se deinde fallaciâ quadam, sive sophismate decipi, inanibusque verborum, aut sententiarum cavillis, irretiri facilè pateretur?

V. Quandoquidem verò res omnes eodem ordine, vel Methodo pertractari non possunt, neque iisdem plerumque gradibus veritatem aliquam a nobis inventam ceteris demonstramus, quibus illam nos antea deprehendimus, hinc Methodus ipsa in *Analyticam*, sive *Resolutivam*, & *Syntheticam*, sive *Compositivam* distingui solet.

1. Methodus Analytica est illa, in quâ a cognitione totius descendimus ad singularum partium

tium

tium cognitionem, ex cognitione effectûs ad cognitionem plurium caussarum, a quibus ille producitur; ex cognitione rei singularis, atque compositæ ad cognitionem simplicium, ac universalium, ut ex. gr. ex cognitione totius hominis ad cognitionem animæ, vel corporis; ex cognitione febris ad cognitionem caussarum, unde febris exoritur, ex cognitione solis ad omnium siderum cognitionem, &c.

Hanc verò Methodum, in scientiis præsertim, aut cognitionibus investigandis frequentiùs adhibere consuevimus, quòd plerumque nobis effectus ipsi, composita, singularia cognita, ac perspectissima sint; illorum verò caussæ longè obscuriores, occultioresque sint; adeoque ex cognitione rei singularis, effectûs, aut compositi cognitio universalium, caussarum, partiumque sit inquirenda. Sic magnetis vim non aliâ ratione scrutari, vel invenire, vel explicare possumus, quàm si sensibiles illius proprietates, & effectus omnes observemus, tum ad inquirendas illorum caussas accedamus. Sic Medici, Casuistæ ex particularibus, sensibilibusque circumstantiis universale quiddam, & occultum conjiciunt, atque scrutantur.

2. Synthetica verò Methodus, sive compositiva est illa, in quâ a simplicibus ad composita, a partibus ad totum, a caussis ad effectus cognitio nostra gradatim ascendit; atque eâ de causâ Analyticæ præferri debet, & cùm inventa jam veritas aliqua doceri, vel ostendi debeat, adhibetur; quòd facilior sit, atque a facilioribus semper incipiat, ut ad difficiliora paullatim progrediatur.

VI. Quàm


VI. Quàm verò Scientiis omnibus rite, ac feliciter pertractandis hæc Methodus conferat, omnes norunt, qui Mathematicæ disciplinæ dignitatem, atque præstantiam intelligant: non aliâ siquidem de caussâ illa primum certitudinis gradum obtinet, atque inter ceteras omnes Scientias sola sinè Logicâ addisci potest, quàm quia a partibus ad totum, a simplicioribus ad composita, hoc est a facilioribus ad difficiliora, a clarioribus ad obscuriora gradatim ascendat; ut omnis proinde Methodus, quâ in ceteris disciplinis utimur, ad hanc Geometricam Methodum, veluti ad exemplar, reduci, conferri, disponique debeat. Tunc autem id opportunè assequemur; si, ut solent Geometræ.

I. *Nihil ambiguum in terminis relinquatur.*

II. *Rationes omnes ex principiis certis, & evidentibus deducantur.*

III. *Propositiones, vel conclusiones omnes demonstrativè, & invictè probentur.*

Quæ tria principia, ac veluti Methodi Geometricæ fontes, ac lumina, ut clariùs intelligi, atque faciliùs adhiberi possint, in plures leges, atque axiomata satis commodè disponi possunt; ut illorum ope errores omnes, qui possent irrepere, detegantur, ac faciliùs vitentur, quod in sequenti Capite præstabimus.



CAP.

CAP. II.

De Methodi legibus.

I. LEges illæ, vel Regulæ, quas in Methodo observari posse jam diximus, aut voces, aut axiomata, aut demonstrationem ipsam respiciunt. Singula nos hìc ordine, additis etiam exemplis, subjiciemus.

Regula pro Vocibus.

I. *Nihil in terminis obscurum, & æquivocum relinquatur, quod priùs accuratè non explicetur.*

II. *Termini usurpentur, aut omnibus per se noti, aut priùs explicati.*

Incredibile est enim quàm graves controversiæ, ac dissidia, ob ejusmodi vocum obscuritatem, Philosophorum ingenia exercuerint, quod de Stoicis, atque Academicis egregiè probavit Cicero, qui plerumque de vocibus non de rebus differebant. Ne itaque huic dissidio ulla detur occasio, voces notissimæ adhiberi debent; Quod non præstitit Aristoteles cum ait: Motus est *actus entis in potentiâ prout in potentiâ*. Tempus est *numerùs, & mensura motûs secundùm prius & posterius*. Anima est *entelechia:* cujus quidem vocis sensum, & cognitionem cùm Hermolaus Barbarus assequi non posset, Dæmonis opem imploraſſe fertur, ut illius vim intelligeret.

Pro

Pro Axiomate.

I. *NUllum adhibeatur Axioma, quod non sit evidentissimum.*

II. *Illud autem evidens habeatur, quod mediocri attentione verum esse cognoscatur.*

In hoc enim sapientes omnes mirè consentiunt, quasdam esse propositiones adeo claras, & evidentes, ut illarum veritas, quadam veluti luce, sinè alio discursu, menti statim affulgeat. Ea tamen humanæ mentis miserrima conditio est, ut in his etiam cognitionis nostræ principiis assignandis plerique dissentiant, ut ex. gr. de istis *Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu. Quidquid apparet in Ideâ clarâ rei verum est: A privatione ad habitum non datur regressus, &c.* quâ verò ratione vera principia ab incertis agnosci possint, fusiùs ostendetur cum de Criterio Veritatis sermo erit.

Pro Demonstrationibus.

I. *PRopositiones omnes, quæ perfectè claræ, & evidentes non sunt, explicari, probari, & illustrari debent, vel ope definitionum, vel axiomatum, vel aliarum propositionum, quæ vel sint evidentes, vel probatæ jam fuerint.*

II. *Quia verò communior obscuritatis fons, & origo est ambiguitas terminorum, ut antea diximus, hæc maximè vitari debet, & adhibendi sunt termini per se noti, vel jam explicati.*

III. *Cavendum est etiam, ne magis solliciti simus de convincendo, quàm de illuminando Intel-*

tellectu, ut plerumque fieri solet per demonstrationes ad impossibile; quando nimirum ostendimus, quod si aliqua propositio esset falsa, aliquid etiam falsum, & absurdum ex illâ sequeretur, adeoque necessarium est illam esse veram.

IV. *Nihil etiam demonstrari debet, quod probatione, sive demonstratione non egeat*, ut quod in triangulo duo quælibet latera simul sumpta tertium excedant, id enim ex ideâ lineæ rectæ statim apparet; existere corpora, &c.

V. *Demonstrationes insuper a remotis, & alienis principiis, aut propositionibus peti non debent*, sed proximè, & immediatè suis ex fontibus, hoc est ex principiis, sive definitionibus, sive denique ex aliis propositionibus antea demonstratis sunt deducendæ.

Pro Methodo.

I. *Quæstiones omnes tractari debent ordine naturali, quoad fieri poterit, ut a simplicioribus ad composita; ad difficiliora a facilioribus ascendatur.*

II. *Curandum est insuper, ut definitiones omnes, & divisiones rite, ac secundùm leges traditas præmittantur, ut Genus aliquod in suas Species, & totum in suas partes divisum faciliùs cognoscatur.*

III. *Debent insuper casus omnes possibiles alicujus propositionis seorsim demonstrari, nisi aliunde clarissimi, & certissimi sint; aut ex aliis jam demonstratis suâ veluti sponte prodeant, ut cuilibet statim appareant.*

CAP. III.

De Fallaciis, quæ contra Methodi leges committi solent.

I. Optandum maximè foret, ut mens nostra propositâ semel superiori Methodo, iisque legibus, quibus in inquirendâ veritate pro variis, aut rerum, aut docentis conditionibus uti posset, veritatem ipsam certissimè assequeretur; eorumque præceptorum lumine ab illius studio, & amore numquam, vel leviter, declinaret. Verùm diuturno rerum experimento compertum est, mentem nostram facillimè labi, atque a proposità veritate sæpiùs deflectere; ut iidem ipsi, qui Logicæ præcepta mirificè callent, graviter plerumque, turpiterque in errores inciderint? Quod cum Aristoteles, aliique Philosophi animadverterent, e re futurum existimarunt plurima quoque de vitiis, quæ aut in Methodo, aut in singulis cogitationum speciebus, præsertim verò Discursu committi solent, opportunè differere; nec aliam fortasse Logicæ partem, quod alibi quoque nos ipsi probavimus, hac utiliorem esse putarunt. Eandem igitur nos hìc viam insistimus: pressiùs tamen, ac breviùs, quàm olim hæc Logicæ pars pertractata fuerit, omnia complectamur, cùm plurima Sophismatum genera, quæ solùm Sophistis, otiosis nimirum, ineptisque hominibus in pretio fuerant, ab illis impudentissimè, atque ingenuis etiam viris objicie-

ciebantur; nunc ubique ferè a ſcholis exulent.

II. Neque id levioris operæ, ut plurimi fortaſſe conjiciunt, putari debet; nihil eſt enim, ut Ariſtoteles, aliique plurimi ingenuè teſtantur, tam homini vulgari, quàm falli; quod ut illuſtriùs adhuc appareat ſingulis legibus, quas tradituri nunc ſumus, exemplum aliquod conſultò adjecimus, in quo ſapientiſſimos etiam viros; qui artis ſyllogiſticæ præcepta optimè callucrant, aliiſque tradiderant, ſubinde ceſpitaſſe demonſtratur. Ex optimis verò, melioriſque notæ Philoſophis hæc exempla ſelegimus, quòd magnorum virorum famâ, & æſtimatione plurimùm commoveamur, ut nihil proinde valentiùs nos a vitiis cohibeat, cautioreſque in evitandis illis efficiat, quàm ſi compertum nobis, exploratumque ſit principes etiam viros in illa ſubinde impegiſſe.

III. Duplex eſt autem Fallaciæ genus, quod hoc in loco explicandum ſupereſt; illæ nimirum Fallaciæ, quæ dicuntur Fallaciæ *formæ*, hoc eſt errores illi, qui contra formam ſyllogiſticam committuntur, in III. Logicæ Parte opportuniùs expoſiti ſunt, ubi de variis legibus, quæ in ſyllogiſmo rite conficiendo ſervari debent, diſſeruimus; quemadmodum etiam errores illi, qui a ſenſibus, ſive præjudicatâ, vel præconceptâ opinione oriuntur, in Primo Capite Secundæ Partis expoſiti ſunt, atque remedia ſimul oſtenſa, quibus ipſi facilè corrigi, deprehendique poſſunt: quo etiam loco Fallacias illas demonſtravimus, quæ cùm ex pravo, vitioſoque uſu vocum oriantur, *Fallaciæ vocum* dici ſolent.

Du-

Duplex eſt, inquam, Fallaciæ genus, quod hìc a nobis exponitur: vel enim dum fallimur, aut in errorem inducimur, error ille dependet, & oritur ab intellectu, eritque *Fallaciæ Intellectûs*; vel intellectus ipſe a voluntate variis affectibus perturbatâ in errorem trahitur, ut error ille, ſeu vitium intellectûs a voluntate præſertim oriatur, atque dependeat, tumque *Fallacia Voluntatis* dicetur.

Primum Fallaciæ genus hoc tertio Capite complectemur; alterum verò in ſequenti commodiùs explicabitur. Varii itaque modi ſunt, quibus intellectus in inquirendâ, vel demonſtrandâ veritate decipitur, quos additis exemplis hìc ordine enumerabimus.

I.

Aliud probare, quàm id, quod eſt in quæſtione.

EJuſmodi Fallacia ab Ariſtotele dicitur *ignoratio Elenchi*, illius nimirum, quod contra adverſarium probandum eſt, ſive quod in adverſario improbari, vel reprehendi debet. Plerumque enim aut ex ignorantiâ, aut ex animi perturbatione, aut etiam fortaſſe ex fraude, & dolo id adverſariis affingimus, quod ab illorum ſenſu prorſus abhorret, ut majori cum laude illorum ſententiam arguere, atque evertere videamur, ſive certè oppoſitarum rationum vim eludere, & effugere liceat.

Hoc in vitium Ariſtoteles ipſe, *vir* alioquin, ut verè inquit Cicero, *ſingulari ingenio, ac pe-*

nè divino (a), sæpiùs impegit; ut cum Platonem acriter reprehendit, atque indecorè vituperat, quòd ideas a substantiis omnibus separatas admiserit; cùm revera Plato non alias ideas agnoverit, quàm existentes in mente Dei. Parmenidem quoque, ac Melissum impugnat Aristoteles, quòd unicum rerum omnium principium posuerint; cùm tamen ipsi non de principio compositionis, sed de caussâ, & principio efficiente, vel de solâ materiâ loquerentur. Quis etiam Pythagoram sapientissimum virum adeo desipuisse arbitretur, ut res omnes numeris componi crediderit, quod illi tamen ab Aristotele, aliisque pluribus affingitur, non verò potius hæc omnia allegoricè ab ipso fuisse usurpata? Quis denique ferat Aristotelem ipsum veteribus omnibus vitio vertere, quod Privationem non agnoverint, cùm tamen certissimum sit, non modò Philosophos omnes, sed rudiores etiam homines hanc agnovisse; non enumerasse tamen inter generationis principia, cùm nullius utilitatis in explicandâ rerum origine videretur?

II.

Id supponere, quod est in quæstione.

Fallaciam hanc Aristoteles vocat *petitionem principii*, sed aliquoties illam admisit; ut cum ex. gr. Tellurem in medio Universi positam probat, quòd gravia ad centrum Universi fe-

(a) *De Divin.* 1.

ferantur, ferantur autem simul ad centrum terræ, adeoque centrum terræ, & Universi sint unum, & idem. Non enim aliunde Aristoteles probare poterat gravia ad centrum Universi descendere, quàm ex eo, quod centrum terræ, ad quod revera feruntur, ut experientia demonstrat, supponatur esse unum, & idem cum centro Universi, quod tamen est in quæstione.

III.

Caussam assignare, qua non est caussa.

FRequentissimum est hoc Fallaciæ genus, quod etiam dicitur *Non caussa ut caussa;* nec aliâ fortasse ratione nobis frequenter imponit, nosque abripit, quàm quia caussæ rerum plerumque obscuræ sunt, ut meritò dixerit Poëta, *felix, qui potuit rerum cognoscere caussas*, id tamen fateri ingenue veremur *, & caussas aliquas potiùs comminiscimur, licet alienas, & imaginarias; aut etiam ad caussam primam, Deum nempe, confugimus * *.

Quid enim est aliud horrorem vacui in naturâ, vim attractricem in electro, vim magneti-

* Nec me pudet, ut istos, fateri nescire, quod nesciam. *Cic. Tusc.* 1.

* * Sed omnium talium rerum ratio reddenda est: quod vos cùm facere non potestis, tanquam ad aram confugitis ad Deum. *Cic. de Nat.* 3.

Anaxagoras tanquam machinâ utitur *Mente* ad Mundi generationem; & cùm dubitatur propter quam caussam necessariò est, tunc eam attrahit. *Aristot. Metaphys.* 1. *c.* 4.

cam in magnete, pulsificam in corde, soporificam in papavere, purgativam in senâ constituere, quàm verbis ludere, idque veluti arcanum, ac mysterium depromere, quod apertissimum est quidem, nullâ tamen ratione effectui clariùs explicando conferre potest? Inesse naturæ vacui horrorem, vim pulsificam cordi omnes norunt, fatentur omnes; sed caussa physica illorum effectuum reddenda est; aut, si ignoratur, commentitia obtrudi non debet, quo nihilò doctiores evadamus *.

Huc etiam referas sympathiam, antipathiam, influxus siderum, ceteraque id genus illustria, sed vana nomina ab Astrologis præsertim usurpata, quibus rerum omnium rationem, & caussas explicare, quin etiam prævidere se posse gloriantur.

Non multò felicior Aristoteles dum plures Mundos eâ de causâ possibiles esse negavit, quòd hic Mundus *Omne*, vel *Universum* dicatur, adeoque omnia complectatur, ut nihil extra ipsum reperiri possit; similiter etiam cum probat cœlos esse incorruptibiles, quòd sint sedes Deorum, quòd illorum motus circularis sit, & nullum proinde contrarium habeat; tres motus simplices reperiri, quòd tres sint dimensiones, &c. cùm tamen ægrè concipiatur, quid Cœlorum

---

* Cùm explicare nihil posses, pugnasti commentitiorum exemplorum mirificâ copiâ. Hoc ego Philosophi non arbitror: argumentis, & rationibus oportet quare quidque fit ita docere, non eventis; iis præsertim, quibus mihi liceat non credere. *Cic. de Divin. 2.*

rum incorruptibilitas cum circulari motu, quid motûs ſimplicitas cum trinâ dimenſione commune habeat.

IV.

Pronunciare de re ex eo, quod illi convenit per accidens.

FAllacia *accidentis* hæc dici conſuevit, atque ex illâ vituperationes omnes oriuntur, quibus egregiæ diſciplinæ traducuntur, quòd illis aliquis abutatur. Hac etiam Fallaciâ decepti Deo humanam formam tribuebant Epicurei, quòd Deus ſit beatiſſimus, beatitudo autem ſinè virtute non detur, neque virtus ſinè ratione, neque ratio, niſi cum humanâ formâ reperiatur: quaſi nimirum rationem conjunctam habere ſolùm per accidens humanæ formæ non conveniret, neque illi contingenter ſolùm adjuncta foret.

V.

Argumentari a ſenſu diviſo ad compoſitum, vel è contra.

HOc alibi explicavimus, cum de veritate propoſitionum ageremus. Utraque hæc Fallacia *compoſitionis*, vel *diviſionis* dicitur. Ut *cæci vident, claudi ambulant, peccatores ſalvari poſſunt, &c.* in ſenſu compoſito verificari certè non poſſunt, ſed ſolùm in ſenſu diviſo. E contra *avari non intrabunt in regnum cœlorum, lignum calidum habet calorem, &c.* ſolùm in ſenſu compoſito ſunt veræ, non in diviſo.

VI.

Argumentari ab eo, quod est verum secundùm quid ad simpliciter.

SIc Epicurei humanam formam Deo tribuebant, quòd hæc omnium pulcherrima sit; licèt enim forma hominis esset pulcherrima, non id tamen haberet simpliciter, & absolutè, ut alia longè perfectior dari non possit, sed tantummodo secundùm quid, hoc est, si cum aliis jam productis comparetur. Sic Aristoteles Mundum alium impossibilem censuit, quòd hic sit perfectus, cùm tamen alius longè perfectior produci possit.

VII.

Imperfecta enumeratio, vel inductio.

QUemadmodum omnis ferè cognitio per inductionem acquiritur, hoc est intellectus noster ex singularibus cognitionem omnem rerum universalium, & abstractarum consequitur, ita sæpissime in hac inductione decipimur, quòd partibus leviter, aut imperfectè enumeratis, conclusionem aliquam generalem inferamus. Sic malè inferremus liquores omnes frigore condensari, quòd hoc in oleo, vino, &c. deprehendatur; aqua enim frigore rarefit, dum conglaciatur. Sic in celebri dilemmate de motu, *Si corpus moveri posset, aut moveretur in loco, in quo est, aut in loco, in quo non est*, pars aliqua, sive corpori status ommittitur; moveri siquidem po-

poteſt, & debet in loco, in quo eſt, ſimul & in loco, in quo non eſt; quia nimirum, ut detur motus, duo loca concipi debent, quorum unus relinquatur, alter verò acquiratur.

VIII.

Tranſitio de Genere in Genus.

VItium ejuſmodi frequenter illis imponit, qui cùm plures Scientias didicerint, illarum præcepta, ac lumina promiſcuè uſurpant: ut qui res philoſophicas explicaturus Geometricas demonſtrationes afferret; quaſi nimirum quidquid a Geometris demonſtratur, in re phyſicâ abſolutè, ac ſimpliciter adhiberi poſſit. Sæpius a Carteſio in hoc erratum eſſe pluribus in locis opportunè oſtendemus, ut cùm de diviſione continui, de conſtitutivo corporis, de infinitâ Mundi extenſione diſſeremus. Hinc Plato, qui Geometriæ ſtudium conſtanter adeo, ac magnificè coluit, ut inſcripto foribus epigraphe ageometras ab Academiâ arceret; & egregiis ſemper laudibus Geometriam exornavit, Architam tamen, & Eudoxum, alioſque reprehendit, quòd ſpeculationes Mathematicas ad ſenſibilia transferrent, & illis iſta comprobarent, quo Geometriæ bonum corrumpi aſſerebat.



IX.

Circulus vitiosus.

HOc Fallaciæ genus ad Petitionem principii facilè revocari possét, sed majoris claritatis gratiâ seorsim, ac distinctè illud notavimus. Committitur autem cum probatur idem per idem, ut fecit Aristoteles cum probare voluit stellas scintillare, quòd nimiùm distent a nobis; nimiùm autem distare illa probat, quòd scintillent. Sic etiam Cartesius dum probat Deum existere, quòd in Ideâ clarâ, & distinctâ, adeoque certissimâ Dei, illius existentiâ contineatur, ac veluti effulgeat; Ideas verò claras, & distinctas esse certissimas; hoc est illa, quæ clarè, distinctèque percipiuntur, esse vera deducit ex Dei bonitate, cui repugnat mentem condidisse, quæ in rebus etiam evidentissimis decipiatur.

X.

Fallacia Contradictionis.

HOc in genere peccatur, cum ibi supponitur contradictio ubi nulla est; ut ex. gr. si dicerem: *Æthiops est albus secundùm dentes, non est albus secundùm reliqua membra, ergo est albus, & non albus*, apparet enim, quod ibi nulla contradictio reperitur, cùm non affirmetur idem de eodem secundùm idem, albedo nimirum de eadem corporis parte.

Fal-

XI.

Fallacia Interrogationis.

IN hunc errorem, ſive Fallaciæ genus, quo *captioſiſſimo genere interrogationis* uti ſolebant Megarici (a), inducimur cum de pluribus, diverſiſque rebus ſimul interrogamur, ut unicâ reſponſione utentes decipiamur; ut ſi quis interrogatus, *vitium, & virtus ſunt ne bona, vel mala?* ſtatim reſpondeat alterutrum, hoc eſt mala, vel bona eſſe; adverſarius enim inferre poſſet, virtutem eſſe malam, aut vitium eſſe bonum; diſtingui itaque debet, ac duplici reſponſione duplici interrogationi ſatisfieri.

XII.

Fallacia Converſionis, ſive Conſequentis.

COmmittitur hæc Fallacia, cum illa Propoſitio convertitur ſimpliciter, quæ converti non poteſt; quando nimirum ex eo quod prædicatum conveniat, & affirmari poſſit de ſubjecto inferimus etiam ſubjectum reciprocè convenire, vel affirmari poſſe de prædicato: ut ex. gr. cùm vera ſit hæc propoſitio *cogitat ergo cognoſcit*, inferimus hanc quoque veram eſſe *cognoſcit ergo cogitat*.



Fal-

(a) *Cic. Acad.* 2.

XIII.

Fallacia falsæ suppositionis.

ULtimum denique Fallaciæ genus, est *falsa suppositionis*; quando nimirum aliquid tanquam verum supponimus, quod revera falsum est, & exinde tanquam ex principio aliquid aliud inferimus; adeoque committitur cum propositio nostra, vel conclusio non absolutè verificatur, sed in aliquâ solùm hypothesi, seu conditione, quam nos quidem certam, ac veram esse supponimus, reipsa tamen non est. Sic Alexinus ille Sophistarum celeberrimus Menedemum interrogasse fertur, *quandonam patrem verberare desiisset* (a)? tacitè, vel implicitè supponens Menedemum aliquando id sceleris attentasse. Optimè verò Fallaciam elusit Menedemus negando id, quod in interrogatione falsò, vel temere supponebatur, *neque incæpi*, inquiens, *neque desii*. Sic etiam celebre Sophisma, quo Diodorus Diogeni probare conabatur illum habere cornua: *Quod non perdidisti*, inquit, *habes*, *sed cornua non perdidisti*, *ergo habes*; apparet enim quod, ut vera sit illa propositio, *quod non perdidisti habes*, supponi debet, quod aliquando id habuerit, quod nondum perdidit. Facilè itaque hæc Fallacia diluitur, negando id, quod ab adversario falsò supponitur; nisi fortasse præstet ejusmodi sophismata, & argutiolas irridere, nihilque ab illarum præstigiis com-

(a) *Laërt.* 2.

commoveri; quemadmodum certè Diogenes ipse, ut propositum sibi sophisma dilueret, manum capiti admovisse fertur, si quæ forent ibi cornua deprehensurus; lepidè, & sapienter innuens, quod ubi de perspicuis rebus agitur, non syllogismi potiùs acumen, sed evidentia ipsa, & manifesta veritas attendi debet.

CAP. IV.

De Fallaciis, quæ oriuntur a Voluntate.

I. ETsi errores omnes ad Intellectum, tanquam ad verum cognitionis principium, rerumque omnium judicem referri debeant, plurimi tamen sunt, qui a Voluntate ipsâ pendere videntur, cùm a perturbatis illius affectibus intellectus ipse plerumque abripiatur, ac in errorem veluti invitus trahatur. Insitus est enim cuilibet hominum amor sui, qui veluti arcana cordis penetralia vi obsidens, altas ibi plerumque, & obscuras adeo radices agit, ut facilè detegi, extirparique non possit. Vix autem credi posset quantum nobis hic amor imponat, quàm gravem menti nostræ caliginem offundat, quàm denique temere, & inconsultò, hoc duce, de rebus judicia ferre consueverimus. Graviora nos vitia breviter hìc complectemur, ut cetera ex ipsis deprehendi, æstimarique possint.

Pri-

I.

PRimum, ac veluti aliorum omnium fons est, quod cùm in rebus omnibus nos ipsos amemus, non aliter de rebus judicare consuevimus, quàm ut illæ nos afficiunt, ac veluti affectus nostros in ipsa affectuum objecta transferimus: sic ex. gr. si quem amamus, justum illum, sapientem, prudentem statim existimamus; si quem verò fortè oderimus, impium, imprudentem credimus *. Quidquid optamus, ac petimus, facile, & æquum, & opportunum nobis videtur, quidquid respuimus, & adversamur, indecorum, iniquum arbitramur. *Quæ volumus & credimus libenter; & quæ sentimus, reliquos sentire speramus* (a).

II.

HUc revocari etiam potest maximus error quorumdam; qui, cùm de se nimis honorificè sentiant, seipsos sæpissime nominant, laudes-

(a) *Cæsar. de Bello Gall. 2. c. 27.*

* Naturæ authoritas in virtute inest maximè; in tempore autem multa sunt, quæ afferunt authoritatem; ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnumquam rerum fortuitarum. Nam & ingeniosos, & opulentos, & ætatis spatio probatos dignos, quibus credatur, putant: non rectè fortasse; sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt, & qui judicant, & qui existimant. Qui enim in his rebus, quas dixi excellunt, ipsâ virtute videntur excellere. *Cic. Top. c. 19.*

desque suas importunis, vel loco, & tempore invitis auribus obtrudunt, ac mirificè extollunt *; opiniones omnes, quas adamaverint, optimas, & evidentes esse arbitrantur, ut illis nonnisi temere, & impudenter ab aliquo contradici possit; cùmque se veritatem assequutos esse glorientur, ceteros omnes erroris insimulant, eorumque opiniones indecorè traducunt.

III.

INde etiam fieri solet, ut quam sententiam inconsulti aliquando elegerimus, eam deinde constantissimè, & pertinaciter tueamur; licèt illa imprudens, atque etiam falsa fortasse nobis appareat; veremur siquidem erroris, aut inconstantiæ notam subire, ac dedecori ducimus aliquando errasse * *. *Quæ quidem indoles pessima est, & menti benè disposita prorsus indigna: quamvis verum sit eam in scholis Philosophorum ut plurimum contrahi, in quibus mos viget de omni re contentiosè altercandi, gloriaque ducitur nunquam cedere, nunquam manus dare, cùm illic ceteris præstare ingenio is videatur, qui est ad subterfugia detegenda, per quæ pressus evadat, oculatissimus; cùm tamen candidi, cordatique hominis indicium sit,* *vel*

---

* Suum cuique pulchrum est: adhuc neminem cognovi Poëtam, qui sibi non optimus videretur, sic se res habet, te tua, me delectant mea. *Cic. Tusc.* 5.

Judicis cujusque in suâ causâ judicium est suspectum. Non vides, quàm blanda conciliatrix, & quasi sui lena sit natura? *Cic. de Nat.* 1.

* * Sed verentur, ne si audierint damnare non possint. *Lactant.* 5. *c.* 1.

vel eminus conspectâ veritate, quam etiam in hoste venerabitur, arma deponere (a).

IV.

QUin etiam perditus amor sui eò quosdam adegit, ut ad aliorum opiniones evertendas hac planè lepidâ ratione usi fuerint: Si hoc esset verum, ego in errore versarer, non essem vir doctus, &c. Sic enim inquiunt, si nervi non a corde, sed a cerebro oriantur, si Cœli sint fluidi, & corruptibiles, quot ego res physicas, & medicas ignorassem? Atque isti quidem ab amplectendâ veritate maximè diffident:

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducùt;
Vel quia turpe putant parere minoribus; & quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri (b).

verùm quàm facilè hac verecundiâ illorum animi liberantur, si animadvertant nihil in homine majorem veniam mereri, nihil facilius esse, quàm decipi; nihilque proinde majori ingenii laude fieri, quàm errorem corrigere. *Neque enim est levitas a cognito, & damnato errore discedere, & ingenuè fatendum est: aliud putavi; deceptus sum. Hac verò superba stultitia perseverantia est, quod semel dixi, qualecumque est, fixùm, ratumque sit. Non est turpe cum re mutare consilium* (c); sed, ut præclarè inquit Plato, *beatus est, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam, verasque opiniones assequi possit* (d).

Quod

(a) *Art. Cogit. Par.* 4. *cap.* 4. (b) *Horat. Epist.* 1. *lib.* 2. *v.* 23. (c) *Sen. de Benefic. lib.* 4. *cap.* 38. (d) *Cic. Tusc.* 5.

Quod si tam Græcis novitas invisa fuisset,
Quàm nobis, quid nunc esset vetus (a)?

Quapropter stultitia nobis visa est aut a bene inventis alicujus recedere, si quo in vitio ejus offenderemur; aut ad vitia quoque ejus accedere, cujus aliquo bono præcepto doceremur (b).

V.

QUemadmodum verò, naturâ duce, nos ipsos diligimus, ac nostra admiramur, ita in ceteros invidi, & paullo iniquiores sumus. Hinc aliorum scripta, vel nunquam, vel perfunctoriè legimus, aut non alio plerumque consilio, quàm ut illa impugnemus *. Hinc gloriæ ducimus de rebus minimis altercari, & ex aliorum contemptu aliquam ingenii laudem aucupare. Hinc pertinax ille contradicendi spiritus, dissentiendi studium, & inexplebilis quædam disserendi cupiditas; quæ certè singula a Philosophiâ abesse plurimùm debent; non quòd disputandi exercitatio honesta non sit, atque ad veritatis inquisitionem non conferat maximè, sed quia

(a) *Horat. Epist.* 1. *v.* 90. (b) *Cic. de Invent.* 2.

* Discit enim citiùs, meminitque libentiùs illud,
Quod quis deridet, quàm quod probat, & veneratur.

Horat. Epist. 1. *lib.* 2. *vers.* 90.

* Vobis *Epicureis* minùs notum est quemadmodum quidque dicatur. Vestra enim sola legitis, vestra amatis, ceteros caussâ incognitâ condemnatis. . . salem istum in irridendis nobis nolitote consumere; & mehercle, si me audiatis, ne experiamini quidem. Non decet, non datum est, non potestis. *Cic. de Nat.* 2.

quia ferè semper indecorè, iracundè, atque impudenter ab aliquibus adhibetur.

VI.

NUllum est tamen, sive Fallaciæ genus, sive impudentis animi vitium, quod frequentiùs, atque iniquiùs adhiberi consueverit, quàm argumentum illud, quod ab invidiâ ducitur, quo nimirum auditorum odium, irrisionem, invidiam in Adversarios concitamus; tum ut illorum sententiam, velut inanem, ridiculam, perniciosam contemnere, vel indecorè traducere possimus, tum etiam ut illius vim, auctoritatemque eludamus. Plura de hoc Argumenti genere, ejusque vitiis, ac partibus, additis etiam exemplis, scripsit Clericus. Varios itaque modos, quibus Adversariis invidia creari solet, breviter enumerabimus; exempla verò minimè subjiciemus, non solùm quòd innumera, clarissima, ac frequentissima nobis occurrant; verùm etiam ne in Auctores illos, qui hoc Fallaciæ genere peccarunt, invidiam, quamvis meritò, concitare videamur.

Creatur itaque, vel in sententiam, aut Scriptorem aliquem excitatur Invidia

1. Cum eamdem sententiam non ingenuè, suisque veluti coloribus, ac nativâ facie; sed perperam, & iniquè exponitur, & explicatur.

2. Cum invidiosis, exosis titulis, atque nominibus infamatur.

3. Cum eadem sententia damnatis aliorum hominum sententiis comparatur, atque cum illis confertur.

4. Cum

4. Cum quæſtionis illius, de quâ diſſeritur, pondus augetur; aut, cùm tenuis illa ſit, maximi tamen momenti eam eſſe fingimus.

5. Quemadmodum etiam cum de ſolo nomine diſſeratur, quòd aliqua nimirum vox a nobis adhibita, ab Adverſario quoque non adhibeatur, graviſſimum tamen crimen, aut errorem ibi ſubeſſe fingimus.

6. Cum oppoſitæ ſententiæ argumenta, vel Adverſarii rationes occultantur, minuuntur, aut impropriâ veluti facie, & adſpeĉtu proponuntur.

7. Incommoda verò, ſive difficultates, quibus ſententiam noſtram premi conſpicimus, occultamus, aut ſtudioſè diſſimulamus.

8. Cum invidioſa conſeĉtaria ex Adverſarii ſententiâ deducuntur, quæ nullâ ratione ex illâ deduci, vel inferri poſſunt.

9. Cum in deteriorem partem illa accipiuntur, quæ leniter, & commodè explicari, defendique poſſent; aut certè omittuntur illa, quæ ſententiam facilè, ejuſque auĉtorem excuſare poſſent.

10. Cum in diſſerendo plura miſcemus, quæ a controverſiâ plurimum diſtant, creandæ tamen invidiæ conferunt.

11. Cum a peritis, æquis, boniſque judicibus ad imperitos, & iniquos, atque ad multitudinem provocamus *.

12. Cum denique Adverſarii mores infamantur, malignis ſuſpicionibus exponuntur; cùm tamen

* Eſt turba ſemper argumentum peſſimi. *Senec. de Vit. beat. c.* 2.

men mores nihil ad sententiæ veritatem, seu falsitatem conferre possint *.

II. Quamvis autem hæc omnia non nisi temere, & impudenter adhiberi possint, ut antea dicebamus, ingenuè tamen fatendum est, quædam ex illis aliquando contra Adversarium usurpari posse; quemadmodum certè ab ingenuis etiam, sapientissimisque viris factum conspicimus. Diligenter tamen, & accuratissimè cavendum est, ne in controversiâ, sive materiâ, quæ paullo majoris momenti sit, præsertim verò cùm de religione disseritur, hæc venia adhibeatur; sed quò gravior est illa quæstio, de quâ disseritur, aut quò dignior, & illustrior est auctor ille, quem impugnandum suscipimus, eò modestior, & ab omni, vel tenuissimo dicacitatis, zeli, irrisionis, invidiæque crimine remotior esse debet oratio nostra **. Id enim sibi persuadere maximè juverit, aliorum opiniones irridere, festivè, iniquè, invidiosèque traducere, & infamare, insipientibus etiam, otiosis, malignis, scurrilibus hominibus licere: certis verò, gravissi-

* Quo loco sanè arguendi sunt Scholastici nonnulli, qui ex opinionum, quas in scholâ acceperunt, præjudiciis viros aliàs Catholicos notis gravioribus inurunt; idque tantâ facilitate, ut meritò rideantur. *Melch. Canus lib.* 8. *loc. Theol. c.* 4.

De ingenio ejus (*Epicuri*) in his disputationibus; non de moribus quæritur: sit ista in Græcorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de veritate dissentiunt. *Cic. de Fin.* 2.

** Si ego tibi vellem pro maledictis maledicta respondere, quid aliud, quàm duo maledici essemus? *Aug. contra Petilian.*

vissimisque rationibus illas impugnare, ac evertere nonnisi optimis, sapientissimisque viris concedi *.

III. Habet hoc tamen cum ceteris vitiis omnibus commune Philantia, sive *amor sui*, ut in aliud extremum quandoque degeneret **. Quosdam nimirum impendio diligimus, illis demissè obsequimur, & quidquid ab ipsis pendet, vel ad ipsos refertur, ingenii nostri prorsus immemores, amplectimur. Quod quidem vitium, assentandique studium, non aulas solùm, sed & scholas ipsas miserè occupavit; ut in illis quidam amplissimis, effusisque laudibus honorentur, illorum sententiæ, & conjecturæ velut oracula ex tripode excipiantur, illisque ingenia nostra vili servitio subjiciantur ***. *Nihil ergo magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur* (a).

 Cùm

(a) *Senec. de Vitâ beat. cap. 1.*

* Temporis ratio, & ipsius dicacitatis moderatio, & temperantia, & raritas dictorum distinguet Oratorem a scurrâ: & quod nos cum caussâ dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid, illi totum diem, & sinè caussa. *Cicer. de Orat. 2.*

** In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte. *Horat. Art. Poët. vers. 31.*

. . . . nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te aliò pravum detorseris.

Horat. lib. 2. Satyr. 2. vers. 55.

*** O imitatores, servum pecus, ut mihi sæpe
Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus!

Horat. Epist. 19. lib. 1. vers. 19.

Cùm enim ſapere, ideſt Veritatem quærere, omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſinè ullo judicio inventa majorum probant; & ab aliis pecudum more ducuntur, nec putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur, aut illi deſipuerint, quia majores nominantur (a). Quod ſanè vitium Pythagoræ auditoribus mirificè impoſuit, qui cæco quodam velut impetu ſingula illius dogmata amplectebantur; *tantumque* in ipſis *opinio præjudicata poterat, ut ſinè ratione valeret authoritas* (b).

CAP. V.

De Methodo circa Auctoritatem.

I. DUo ſunt lumina, ut egregiè inquit Auguſtinus, ac veluti fontes uberrimi, ex quibus omnis cognitio noſtra dimanat, Ratio nimirum, & Auctoritas. Quidquid enim cognoſcimus, aut ab aliis per fidem accepimus, aut ex evidentibus principiis per rationem ipſi deduximus; unde, inquit ille, *quod intelligimus, debemus Rationi; quod credimus, Auctoritati* *.

II. Quem-

(a) *Lactant. Inſtit.* 2. *c.* 8. (b) *Cic. de Nat.* 1.

* Nemini dubium eſt gemino pondere nos impelli ad diſcendum; authoritatis, atque rationis. *Aug.* 3. *contra Academ. c* 20.

Duplex eſt via, quam ſequimur, cùm rerum nos obſcuritas movet, aut rationem, aut certè authoritatem. *Idem lib.* 2. *de Ord. c.* 3.

Tria

II. Quemadmodum igitur in superioribus Capitibus plura tradidimus, quibus ratio nostra dirigi posset, ac detegi vitia, quæ facillimè in judicia, discursusque nostros irreperent, ita hìc nonnulla adjicienda sunt, quibus mens nostra in iis dirigatur, quæ ad Auctoritatem pertinent, fidemque in nobis producunt. Compertum est siquidem sæpius hac etiam in parte nos decipi, nobisque facilè imponi, dum majorem alicui, quàm par est, fidem adhibemus; alteri verò plus æquo detrahimus, ut plurimum intersit utrâque ex parte limites constituere, quos egredi nefas sit.

III. Quod ut faciliùs, & clariùs fiat, illud initio observandum est, aliam esse Auctoritatem, & fidem humanam, aliam fidem, Auctoritatemque divinam. Hæc innititur testimonio Dei revelantis, qui nec falli non potest, nec fallere, adeoque certissima est, atque ab omni errore quàm longissimè recedit; alia verò cùm soli Auctoritati hominum innixa sit, obnoxia errori esse potest, cùm is facilè falli possit, aut fallere, qui nobis aliquid affirmat. Utraque tamen certitudinem habet; maximam quidem, ut antea dicebamus, & infallibilem, si sit divina; majorem verò, vel minorem si sit humana, pro majori, vel minori illius Auсто-

Tria sunt velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, & opinari. Quæ si per se considerentur, primum semper sinè vitio est; secundum aliquando cum vitio; tertium numquam sinè vitio. Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus authoritati, quod opinamur errori. *Aug. lib. de utilit. cred. cap.* 2.

ctoritate cognitione, probitate, veracitate, qui nobis aliquid manifestat. Hinc facilè apparet utramque fidem in aliquâ ratione fundari: ut enim egregiè docuit Augustinus (a), nunquam mens nostra induci posset ad credendum Deo Mysteria illa revelanti, quæ mentis nostræ vim superant, nisi ratio ipsa nobis ostenderet plurima in Deo reperiri, aut ab ipso plurima fieri posse, quæ nos mente consequi non valemus, & tamen æquissimum esse, ut illi revelanti hæc eadem credamus, cùm perfectus adeo sapiens, & bonus, & verax sit, ut nec falli velit, nec fallere *. Ejusmodi verò principia, vel axiomata, quibus utraque fides innititur breviter hìc ordine prosequemur, adjectis etiam auctoritatibus, & exemplis, quibus illustrior, & certior res fiat.

I.

Plurima sunt, quæ esse nos certò cognoscimus, qualia tamen, vel quomodo sint ignoramus.

Nihil est ferè, quod hominum ingeniis superbientibus modestiam ingerat, mentemque ipsam, quæ liberè omnia scrutari vellet, coërceat, quàm obscuritas illa, quæ in pluribus naturæ effectibus explicandis offenditur. Quis enim Philosophus magnetis vim, gravitatis originem, luminis naturam, æstum ma-

(a) *Epist.* 120. *n.* 3. *aliàs* 122. *cap.* 1.

* Nullus credit aliquid, nisi priùs cogitaverit esse credendum. *Aug. de Præd. Sanct. c.* 2.

maris, siderum ordinem, atque periodum, arctissimam animi, & corporis unionem, mutuamque operationum dependentiam, aliaque id genus innumera, quæ certissima sunt, & nostris oculis obversantur, clarè adeo, distinctèque explicare possit, ut scrupulum omnem, omnemque dubitationem amoveat? Sed Mathematicæ disciplinæ, quæ omnium certissimæ sunt, quàm præclarè intellectui nostro hac etiam in parte consulunt? Quid enim magis ab intellectûs lumine abhorreat, atque a principiis illis, quorum notitiam natura ipsa nobis impressit, quàm magnitudinem aliquam absolutè, ac simpliciter, infinitam cuidam determinatæ, ac finitæ magnitudini æqualem fore; finitam superficiem, vel tantillum circa se rotatam infinitam magnitudinem producere; circuli peripheriam puncto æquari; inæquales lineas æquales esse; infinitas nullitates numerum aliquem constituere; duas lineas ad mutuum contactum semper propiùs accedere, nunquam tamen conjungi posse, etsi in infinitum protrahantur; quadrati latus esse diametro incommensurabile; quantitatem minimam in infinitum dividi posse, aliaque ejusmodi, quæ tamen vel invictè, evidentissimèque ab Apollonio, Galileo, Torricellio, Robervallio, Grandio, aliisque Geometris demonstrata sunt, vel maximam certè vim intellectui nostro efficiunt?

Hæc sunt, ut doctissimi Viri ingenuè testantur, mysteria quædam, quibus intellectus eò; vel invitus adigitur, ut tenuitatem suam, exilesque suas vires liberè agnoscat, & fateatur; sibique persuadeat; non omnia a se comprehen-

di posse, atque etiam ubi clariùs intueri se quidpiam existimat, caligines sibi, nubesque offundi patiatur.

II.

Non ideo quædam neganda sunt, quòd animo comprehendi non possint.

SEquitur id evidenter ex dictis: iterum tamen hoc idem monere par fuit, cùm maximum, & frequens vitium sit, quòd Intellectus noster propriæ tenuitatis immemor, meliùs atque honorificentiùs existimat ea negare, quæ nescit, quàm ignorantiam propriam fateri. Sic quoniam difficilè percipitur quâ ratione Brutorum anima, cùm corporea, & materialis sit, cognoscat, cognitionem omnem, atque animam ipsam a Brutis complures adimunt; quia plerique veterum Antipodas capite inverso incedentes concipere non poterant, illos negarunt, &c.

III.

Plura potest Deus efficere, quàm nos mente concipere.

VIm etenim agendi habet Deus infinitam, quæ proinde a nobis comprehendi, vel cognitione nostrâ circumscribi non potest, quæ semper finita, ac limitata esse debet. *Demus itaque Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti*

cti est potentia facientis (a); *& cum Deus operatur, non quæramus quomodo, sed operis sui viam, atque scientiam illi soli concedamus* (b): *Nihil* etenim *in divinis effectibus humanæ mentis opinione tractandum est, neque de Creatore suo Opificii sui materia decernat* (c). *Nam nihil deterius esse potest, quàm velle divinas res humanâ ratione discernere, atque metiri* (d).

IV.

Deus aliquid revelando, nec falli potest, nec fallere.

CUm enim summa veritas sit, summa perfectio, summa sapientia, ut in Metaphysicâ demonstrabitur, nec falli unquam poterit, neque alios fallere; hæc omnia siquidem cum summâ veritate, summâque sapientiâ conciliari non possunt.

V.

In rebus, quæ nobis a Deo revelatæ fuerint, quamvis rationem humanam superent, ratio ipsa docet Intellectum nostrum Divinæ auctoritati subjici oportere.

HOc est, quod Apostolus vocat *captivare Intellectum in obsequium Christi* (e), & facillimè ex superioribus inferri potest. Si etenim ratio

(a) *Aug. Epist.* 157. *aliàs* 3. (b) *Cyrill. Alex. lib.* 4. *in Joann. Ev.* 6. (c) *Hil.* 3. *de Trin. n.* 20. (d) *Ephrem. Tract. de Nat. Dei non scrutanda.* (e) 2. *Cor. c.* 10. *v.* 5.

ratio nos docet plurima esse, quæ Deus efficere potest, nos tamen illa mente complecti non possumus, quin etiam repugnantia arbitramur; quemadmodum etiam plura clarè, distinctèque percipimus esse, quæ prorsus impossibilia videntur, Deus verò hæc eadem revelando, nec falli potest, nec fallere, manifestissimè sequitur mentem nostram dubitare non posse de illorum veritate, ac certitudinè, quæ a Deo revelantur, licèt illorum vim, ac rationem non comprehendat.

VI.

Illud autem a Deo revelatum credi debet, quod a Scripturâ, Traditionibus, Ecclesiâ, Conciliis, Romano Pontifice definitum est.

ID fusè probant Theologi, quorum præsertim id interest; de Scripturâ quidem, quòd Deo inspirante, & dictante conscripta fuerit: de Traditione, quia id, cujus nulla origo reperitur, ad Apostolos, eorumque Magistrum Christum Dominum referri debeat; *quod enim universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur* (a): de Ecclesiâ quòd sit *columna, & fundamentum veritatis* (b); *atque inferi portæ adversus eam prævalere non possint* (c): de Conciliis, quòd ab ipsis Universa Ecclesiâ, quæ deficere, vel errare non potest, repræsentetur; atque dixerit Christus, *ubi fuerint* *duo*,

(a) *Aug. lib. 4. de Bapt. contra Donat. n. 31. c. 4.*
(b) *Epist. 1. ad Tim. c. 3. v. 15.* (c) *Matth. c. 16. v. 28.*

duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum (a): *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi* (b): de Romano Pontifice, cùm Petro, ejusque Successoribus promiserit Christus *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua* (c): *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (d).

VII.

Articulus fidei non aliâ auctoritate, constitui potest, quàm Scripturæ, Traditionum, universalis Ecclesiæ, Conciliorum, Romanorumque Pontificum; unde hominum quorumcumque auctoritas divina esse non potest.

OPortet enim, ut optimè a Scoto observatum est, *habere majorem auctoritatem ad hoc ut aliquid teneatur esse de fide, quàm quòd Sanctus aliquis sic arguat* (e). *Solis Scripturarum libris*, ait D. Aug., *qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum Auctorem eorum in scribendo errasse aliquid firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate, doctrinâque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, vel scripserunt* (f). Quod si in disciplinis omnibus, quæ a Sanctis Ecclesiæ Patribus usurpatæ, vel illustratæ fuerint, illorum authoritas divina, certissima, vel infallibilis esse non potest, certè par est, ut

(a) *Matth. c.* 18. *v.* 20. (b) *Matth. c.* 28. *v.* 20. (c) *Luc. c.* 22. *v.* 32. (d) *Matth.* 16. (e) *In lib.* 1. *Sentent. distinct.* 26 *quæst.* 1. (f) *Aug. Epist.* 19. *ad Hier.*

ut in Philosophicis etiam eadem cautio, vel diligentia adhibeatur; eodemque ferè loco Patris authoritas habeatur, quo nobis habenda fuerit authoritas, & ingenium illius Philosophi, quem ille probaverit, ac amplectatur: quemadmodum sanè Albertus ille Magnus, quem Angelicus Doctor Præceptorem habuit, quem illustriores orbis Academiæ mirificè suspexere; quem denique sapientia divinitus inspirata celeberrimum reddidit, ingenuè de se, suisque in Aristotelem Commentariis fatebatur: *In his*, inquiens, *nihil dixi secundùm opinionem meam propriam, sed juxta rationes Peripateticorum; & ideo illos laudet, vel reprehendat non me* (a).

VIII.

Plurimus tamen honor Ecclesiæ Patribus, eorumque dictis haberi debet.

NEque etenim solùm plerique ex illis Philosophiæ, omniumque scientiarum gloriâ mirificè floruerunt; ut meritò proinde possint eruditione, sapientiâ, veritatis amore cum illustrioribus Græciæ Philosophis comparari; verùm etiam, quòd illos Deus in iis, quæ ad fidem illustrandam, moresque nostros rite componendos pertinent, duces, interpretes, & Ecclesiæ lumina destinaverit; unde verecundè, modestissimèque ab illorum sententiâ, in iis etiam, quæ ad mores, fidemque non pertinent, recedere, vel dissentiri debemus, ut pluribus in

(a) *Coment. in Arist. circa fin.*

in locis conceptis verbis, & etiam exemplo docuit D. Thomas. Porrò de usu Patrum, & Sacrarum Scripturarum auctoritate egregiè scripsit Melchior Canus de loc. Theol. & Huetius, Abrincensis Episcopus in Concordiâ Rationis, & Fidei, ut Theologos omnes omittam.

V. Atque ista quidem principia divinam authoritatem, divinamque Fidem, quæ exinde oritur, respiciunt: quæ verò sequuntur humanæ fidei vim, auctoritatemque, & usum definiunt.

I.

Fides humana dubia, & incerta esse debet.

INnititur enim, ut antea diximus, soli hominum auctoritati; quilibet autem ex his hominibus, aut falli potest, aut fallere; falli quidem ex imbecillitate intellectûs; fallere verò ex malitiâ, aut pravo affectu voluntatis, quemadmodum superiùs ostendimus; quo fit ut optimè verificetur illud Prophetæ, *omnis homo mendax.*

II.

Nullius hominis tanta auctoritas esse debet, qua intellectum captivet.

VItium ejusmodi omnes norunt, vituperant omnes, non omnes fugiunt. *Nescio enim quomodo plerique errare malunt, & eam sententiam, quam adamarunt, pervicacissimè defendere, quàm sinè pertinaciâ quid constantissimè dicatur exquirere; a quibus si persuasionis rationem exquiras, nul-*

nullam possunt reddere, sed ad majorum judicia confugiunt, quòd illi sapientes fuerint, illi probaverint, illi scierint quid esset optimum; seque ipsos, sensibus spoliant, ratione abdicant dum alienis erroribus credunt. Atque utinam soli errarent, soli decipere vellent; alios etiam in consortium sui mali trahunt, quasi habituri solatium de perditione multorum (a). Ego verò *multum magnorum Virorum judicio credo, sed non me cuiquam emancipavi* (b).

III.

Auctoritas tamen, & fides humana aliquando certissima est; si omnes nimirum, aut plurimi in aliquâ re consentiant.

QUis enim cognitionem illam, ac evidentiam, quam de Antipodum, Romæ, Nili &c. existentiâ habemus, Geometricis ferè demonstrationibus non comparet? aut quis insanientis esse non videat asserere Virgilium, Tullium, Homerum nunquam fuisse, cùm id ab omnibus hominibus, omnibus retrò temporibus, constantissimè proditum fuerit? Si igitur homines plurimi diversarum nationum, religionum, temporum &c., in quibus profectò affectuum vim, & partium amorem suspicari non possumus, idem constanter asserant, id certum esse omnino debet; nam ut egregiè ait Tullius *neminem omnes, & nemo omnes unquam fefellit* (c), omni-

(a) *Lactant. Instit. lib. 5. c. 20.* (b) *Sen. Epist. 45.*
(c) *De Nat. 1.*

omnique in re omnium gentium consensio lex naturæ putanda est (a).

IV.

HInc autem facilè apparet quomodo veræ a falsis historiis distingui possint. Si etenim plures cordati viri id unanimiter asserant, pro certo haberi debet; unde ex. gr. verum putari debet *Miraculum illud, quod Mediolani factum est*, ait Augustinus, *cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, quia ad multorum notitiam potuit pervenire, quia & grandis est Civitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenso populo teste res gesta est* (b). Impossibile est enim, quod egregius vir mendacii hostis acerrimus falsum impudenter prodiderit, de quo a plurimis facilè revinci poterat.

V.

HAc etiam Methodo, & lege uti possumus, cum de genuino alicujus libri auctore disseritur; non enim aliâ de caussâ, ut est ab Augustino observatum, Ciceronis opera Ciceroni tribuimus, quàm quia omnes illa semper Ciceroni adscripserunt. Sic argui debent Salmasius, & Blondellus, qui D. Ignatii epistolas suppositias existimant; cum enim Epistolas easdem nos habeamus, quæ ab Irenæo, Eusebio, aliisque antiquissimis Patribus citantur, atque impossibile sit veras Ignatii Epistolas Irenæi temporibus

(a) *Cic. Tusc.* 1. (b) *Conf. libr.* 2. *cap.* 4.

ribus non extitisse, impossibile est etiam, ut illæ, quæ ad nos pervenerunt, genuinæ non sint.

VI.

CAutissimè tamen ejusmodi ratio adhiberi debet: nonnullæ siquidem circumstantiæ evidentes adeo, & invictæ sunt, ut diuturnam hanc famam, populorumque consensionem elevare, vel infringere possint; quod in operibus Mercurii Trismegisti, Sybillarum, Zoroastris carminibus, aliisque pluribus factum est; quæ, licèt olim semper in pretio fuerint, suppositititiæ tamen sapientioribus viris nunc habentur; quòd præsertim plura contineant, quæ illis temporibus convenire non possunt, quo scripta feruntur; aut quòd a nullo ejusdem temporis certæ fidei scriptore memorentur.

VI. Quandoquidem verò, vel historiæ veritatem, vel libri alicujus genuinam originem Scriptorum silentio improbari posse diximus; plura nunc addi possent de illo Argumenti genere, quod *Negativum* vocatur, de quo præclarè Launojus differuit. Tunc itaque Argumento negativo uti dicimur, cum aliquid certo quodam tempore factum esse, vel contigisse negamus, quòd illud idem a Scriptoribus, qui tunc temporis floruere, eorumque temporum res gestas edidere, non memoretur. Sic plurimi existimant Symbolum, quod D. Athanasii nomine circumfertur, apocriphum esse, vel alterius auctoris, quòd in nullis manuscriptis codicibus inter cetera illius opera reperiatur; quòd ab antiquis, coævisque Athanasio Patribus, qui ipsius

ipsius auctoritates contra hæreticos frequenter usurpant, non memoretur, sive adhibeatur; quòd Nestorii, & Eutychetis hæreses, quæ nondum eruperant, ibi damnentur, &c. Sic Accursii celeberrimi Juris-Cons. filias Jurisprudentiam Bononiæ publicè docuisse negant accuratiores Historici, quòd a nullo certæ fidei Scriptore id memoretur, &c.

VII. Plurimum tamen vitii in hoc Argumenti, vel Testimonii genere inesse solet, ut innumeris ferè exemplis ostendi posset; cùm plurima verè fieri, vel contigisse potuerint, & a nullo Scriptore describi, vel memorari; sive, etiamsi fortasse descripta illa fuerint, libri interire: unde ex Scriptorum silentio semper historiæ falsitas inferri non poterit. Scriptoris itaque probitas *, fides, diligentia, affectus, ceteræque circumstantiæ accuratissimè sunt observandæ; *quæ si singula nos fortè non movent, universa certè inter se connexa, atque conjuncta movere debent* (a); atque ex iis omnibus rite collatis, atque perpensis facilè intelligi poterit, an illius silentium veluti certa falsitatis nota assumi possit. Conferri quoque debent stylus, rerumque gestarum series, quæ si aliis probatis historiis

 affi-

(a) *Cic. de Nat.* 2.

* Boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi sæpe parvo. *Cic. pro Milone*.

Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sinè spe, atque emolumento accedere. *Idem pro Rosc. Amerino*.

Quis enim unquam conatus est jura omnia, & consuetudinem omnium commutare, cum vituperatione sinè quæstu. *Act. 5. in Verr.*

affinia fuerint, aliaque veritatis indicia habuerint, tunc Scriptorum silentio præponderant, adeoque constanter admitti poterunt.

VIII. Hæc eadem regula ad investigandam auctoris alicujus mentem, cum alicubi dubia, & obscura sit, adhiberi potest. Adeunda siquidem sunt loca illa, in quibus hanc opinionem, aut accuratiùs, aut ex professo, aut posteriori tempore pertractavit *, ut ex Operibus D. Aug. constat, præsertim in libris Retractationum. Quod si obscuritas ex variis lectionibus, vel interpretationibus oritur, correctiores, & antiquiores codices, & interpretes sunt consulendi, & ex meliorum, aut plurium sensu res est definienda, ut præclarè docuit idem Augustinus (a).

Verùm hæc hactenus de vario divinæ, humanæque authoritatis pondere fusiùs fortasse, quàm par erat, dicta sint. Uberior enim, atque accuratior legum ejusmodi pertractatio ad Criticam artem pertinet, cujus fontes, ac veluti principia sunt. Nos obiter hæc delibavimus, quæ certè plurimam lucem iis, quæ in singulis Philosophiæ partibus opportunè dicturi sumus, afferre poterunt.



CAP.

(a) *Aug. lib. 2. contra Faust. c. 2.*

* Quâ in sententiâ scriptor fuerit, ex ceteris ejus scriptis, ex factis, ex dictis, animo, atque vitâ ejus sumi oportebit. *Cic. de Invent. 2.*

Deinde ex superiore, & inferiore scripturâ docendum id, quod quæratur, fieri perspicuum, *Ibidem*.

CAP. VI.

De Veritate, & Scientiâ.

I. Cum animus noster anteactis laboribus jucundissimè delectari, & ad alios alacriùs subeundos excitari soleat dum aliquem ingenii sui, studiique fructum conspexerit, plurimùm certè nunc deceat gravem, atque operosam hanc totius Logicæ disciplinam, quam hactenus complexi fuimus, suaviorem, utilioremque nobis efficere, ubi sincerum Veritatis, & Sapientiæ splendorem, ad quem nos illa feliciter, faustèque deduxit, ob oculos ponamus.

His etiam accedit, quod graviter adeo, frequenterque in hac postremâ Logicæ Parte humanæ mentis imbecillitatem exposuimus, ut facilè suspicari quis possit nos in illam sententiam delabi, in quam Scepticos, Pyrrhonicos, Acatalepticos insolens quædam dissentiendi cupiditas, aut humani ingenii contemptus abripuit, ut nimirum de Veritatis acquisitione desperandum esse arbitremur. Alacri tamen, serenoque vultu esse nos decet, quòd licèt veritas ita plerumque *lateat crassis involuta, & circumfusa tenebris* (a), ut non solùm ex profundo Democriti puteo (b) eruenda videatur; sed etiam, ubi fortasse aliquâ ex parte repente nobis affulserit, caligine statim offusâ nos deserat; plurima ta-

 men

(a) *Cic. Acad.* 4. (b) *Vid. Senec. Epist.* 88.

men evidenter adeo, certòque nobis perspecta sunt, ut magnâ ex parte nos Veritatem, aut Scientiam, certam nimirum, atque evidentem rerum cognitionem, assequutos esse gloriemur. Quod si adhuc plurima supersunt, quæ nondum cognovimus, sperandum est tamen fore, ut hæc eadem aliquando comperta nobis, & perspectissima sint; quorum utrumque breviter hìc ostendemus, ut fortiùs adhuc ingenuo Veritatis amore excitemur.

II. 1. Atque ut a primo incipiamus, quis dubitare unquam possit se existere, vivere, cogitare, vigilare, audire dum audit, videre dum videt, aut de aliis hujusmodi sexcentis ambigere, quæ quotidie nobis occurrunt? *Neque enim*, ut egregiè monuit Augustinus, *quisquam sinitur nescire se vivere; quandoquidem si non vivit, non potest aliquid vel nescire; quoniam non solùm scire, sed nescire etiam viventis est. Sicut ergo nos vivere non solum verum, sed etiam certum est, ita vera, & certa sunt multa, quibus non assentiri absit, ut sapientia potiùs, quàm dementia nominanda sit* (a) *.

2. Ejusmodi certè sunt prima cognitionis principia, quæ adeo certa, & indubia sunt, ut illis vel inviti assentiri cogamur, ut ex. gr. *totum esse majus suâ parte: quodlibet esse, vel non esse, &c.*

(a) *Aug. in Ench. n. 7. aliàs c. 20.*

* Empedocles interdum mihi furere videtur, abstrusa esse omnia, nihil nos sentire, nihil cernere, nihil omnino quale sit posse reperire. Majorem autem partem mihi quidem omnes isti (*Dogmatici*) videntur nimis etiam quædam affirmare, plusque profiteri se scire, quàm sciant. *Cic. Acad. 4.*

&c. quemadmodum etiam certiſſima ſunt omnia, quæ ex talibus principiis proximè, & immediatè inferuntur, ut Italiam eſſe minorem Europâ, Oceanum toto globo terraqueo, &c.

3. Hoc etiam in numero haberi debent propoſitiones illæ, quæ in Geometriâ demonſtrantur; adeo enim invictè, & evidenter ex illis primis principiis inferuntur, ut de illorum veritate, & evidentiâ dubitari non poſſit. Quin etiam facultates omnes, omnes Scientiæ, omneſque artes aliquid certum, ac verum præſeferunt, a quo mens noſtra diſſentiri non poſſit; unde egregiè ait Tullius: *Quod ſi nihil veritatis relinquitur, ſi omnis aſſenſio eſt cobibenda, ne falſa, aut incognita res approbetur, omnis quoque actio vitæ, omnis animorum motus tollatur neceſſe eſt* (a) *.

(a) *Cicer. Acad.* 4.

* *Pyrrhonicos* Dogmatici vitam etiam tollere aſſerunt, dum omnia, ex quibus vita conſtat, evertunt: At contra eos illi mentiri aſſeverant, non enim vitam ſe auferre, ſed quomodo ſe habeat vis videndi ignorare ſe dicunt. . . . Etiam quod urit ignis ſentimus, verùm an habeat urendi naturam non pronuntiamus. Quodque moveatur quiſpiam, & quod pereat, videmus; verùm iſta quo pacto fiant, ignoramus. Eis igitur ſolùm reluctantes, quæ in conſpicuis rebus proximè aſſiſtunt incerta. *Laërt.* 9. *ſeg.* 105.

Etſi cauſſæ non reperiantur iſtarum rerum, res tamen ipſæ obſervari, animadvertique poſſunt. *Cicer. de Divin.* 2.

Hoc ſum contentus, quod etiamſi quomodo quidque fiat, ignorem, quid fiat intelligo. *Cic.* 1. *Div.*

4. Et sanè si Veritatem assequi nunquam nobis liceret, quid cœlestis, ac divina propemodum cognoscendi vis, & facultas, quid insatiabilis quædam veri videndi cupiditas, quid incredibilis cognitionis amor, & scientiæ, quo naturâ ipsâ duce impellimur, nobis inesset? Certè quidquid Natura, vel auctor naturæ Deus nobis impressit, inutile, inefficax esse non potest, cùm *Deus, & natura*, ut fert commune principium, *nihil frustra operentur;* Si ergo natura ipsa ad Veritatis, & Scientiæ amorem nos fortiter adeo, ac vehementer impellit, fatendum est possibilem esse veri cognitionem; nosque illam adeptos esse, cum mens ipsa se illius amoris, ac desiderii compotem sentiat.

III. Quod enim Cratylus, & Herillus objiciunt, res omnes incertas, variabiles, contingentes esse; instar fluvii continuò labi, adeoque nullam de ipsis certam, & infallibilem cognitionem haberi posse, facilè solvitur, ubi quis animadverterit Scientias omnes non de rebus singularibus, secundùm quod in rerum naturâ reperiuntur, sive quoad existentiam, differere; verùm potiùs de universalibus, & abstractis, sive quoad essentiam; adeoque, licèt singulares illæ naturæ, ac sensibiles corruptibiles, incertæ sint, & consequenter nulla de ipsis Scientia, vel certa cognitio dari possit, istæ tamen universales, &c. incorruptibiles, æternæque sunt, ut neque a Deo variari possint, aut destrui, ac proinde de ipsis certa, ac infallibilis cognitio acquiri potest.

IV. At, inquiunt, omnis cognitio Intellectûs nostri pendet a sensibus, & ab ipsis oritur, cùm *nihil sit in intellectu quin priùs fuerit in sen-*

senſu, ſed iſti ſæpius falluntur *, ut in Phyſicâ demonſtrabitur, ergo nulla cognitio noſtra erit certa, & indubia, adeoque abſolutè vera, & ſcientifica.

Verùm, ſicut alibi oſtendimus, hujus argumentationis, ſive ſyllogiſmi majorem plerique negant, quibus veriſimilius videtur rerum ſpiritualium ideas animæ ipſi a Deo impreſſas eſſe, per quas illa res incorporeas independenter a ſenſibus contempletur; neque aliâ ratione mens noſtra de rebus corporeis, ac ſenſibilibus certa videtur, quàm quia corporeas imagines a ſenſibus acceptas innatis illis imaginibus conformes, & cohærentes deprehendit. Alii verò reſpondent ſingulos quidem ſenſus, & ſeparatim ſumptos falli poſſe; non tamen omnes ſimul: quin etiam aſſerunt errorem unius sensûs ab alio detegi ſemper, & corrigi poſſe; quod ſi demum ſenſus omnes tum interiores, tum exteriores fallantur, ineſſe tamen exiſtimant vim intellectui nobiliorem, quâ ſenſuum errores corrigere poſſit.

V. Quia verò rerum naturæ obſcuræ ſunt, & intellectus ipſe facillimè labitur, atque fallaciis ſæpiſſimè illudi ſolet, hinc raròde rebus Veritatem aſſequimur; ut ingenuè proinde fatendum ſit, longè plura nos ignorare quàm ſcire. Perperam tamen quis ſuſpicabitur hæc

* Fallunt nos oculi, vagique ſenſus
Oppreſsâ ratione mentiuntur;
Nam turris, prope quæ quadrata ſurgit,
Attritis procul angulis rotatur, &c.
Petron. Arb.

dem cognosci nunquam a nobis posse, quemadmodum enim plurima superioribus seculis, atque etiam nostris hisce temporibus in dies deteguntur, quæ olim dubia prorsus, & incerta, & ignota fuerant, & posteris quoque ætatibus futura credebantur; ita etiam sperandum est, ut posteris nostris illa perspectissima sint futura, quæ sapientum omnium ingenia nunc torquent, atque mirificè eludunt; *Veniet tempus, quo ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia; ad inquisitionem enim tantorum ætas una non sufficit* (a): *Plurimum autem ad inveniendum contulit, qui speravit posse reperiri* (b).

VI. Atque ista quidem Dogmaticis, atque Pyrrhonicis satis feliciter, ut opinor, opponi solent, quibus ostendatur, neque Veritatem omnem repertam esse, de quo illi superbiusculè gloriari solent, neque illius inveniendæ spem hominibus ademptam esse, quod impudenter isti contendunt. Quæ, licèt Philosophiæ dignitati consulere, atque ad illius amorem, Veritatis acquisitione propositâ, animos excitare videantur, etiamsi tamen egregio hoc lumine Sapientia spoliaretur, plurima adhuc illi suppetere putandum est, quibus hominum studium, & amorem mereri possit; tanta siquidem est in his studiis jucundissima voluptas, ut nisi Veritatis acquirendæ spes, & cupiditas nos incenderet, ipsa nos certè Philosophiæ jucunditas ad hæc studia compelleret; ac licèt *ad Sapientiam pervenire dif-*

(a) *Sen. Quæst. Nat. lib.* 7. *c.* 25. *&* 26. (b) *Idem lib.* 6. *cap.* 5.

difficile ſit, tamen nec modus eſſe debet ullus inveſtigandi veri; & quærendi defatigatio turpis foret, cùm id, quod quæritur, ſit pulcherrimum (a); *oculorum* certè, ut inquit Plato, *eſt in nobis ſenſus acerrimus, quibus Sapientiam non cernimus, quàm illa ardentes amores excitaret ſi videretur!* (b)

CAP. VII.

De Veritatis Criterio.

I. ID unum poſtremò explicandum ſupereſt, quæ nota, ſive *Criterium*, vel, ut Cicero (c) interpretatur, *Judicium*, aut Judicatorium veritatis conſtitui debeat, lex illa nimirum, quâ verum a falſo diſtingui, atque propoſitionum veritas certò deprehendi poſſit. Ut enim Judicium aliquod certum, & indubium ſit, atque Intellectus noſter certò, ac infallibiliter ſe quidpiam cognoſcere certò ſciat, neceſſarium eſt, ut cognitionem omnem ad aliquam regulam certam, atque infallibilem, veluti ad lydium lapidem, referat; ac proinde quædam veritatis, & certitudinis nota in omni propoſitione verâ reperiri, ac veluti fulgere debet. Quâ quidem in re illuſtriores etiam Philoſophi plurimùm inter ſe diffident. Plures etenim ex illis, aut nihil in rebus verum eſſe; aut nullum certè Veritatis indicium reperiri arbitrantur; quos inter Empe-

(a) *Cic.* 1. *de Fin.* (b) *Idem de Fin.* 2, (c) 1. *de Finib.* & *Acad.* 4.

pedocles, Zeno Eleates, Democritus *, & ipse Plato cum Socrate **, ut Pyrrhonicos, & Acatalepticos omnes omittam, enumerantur. Qui verò Veritatem aliquam, ejusque Criterium admittunt, etsi maximè inter se differant, ut mox ostendemus, facilè tamen conciliari fortasse poterunt, cùm omnes in hoc mirificè conveniant, omnem demum Veritatis notam, sive Criterium in Evidentiâ positum esse; ut illa nimirum propositio certa censeri debeat, in quâ prædicatum evidenter cum subjecto conjungitur, sive convenit; cum nempe illorum nexus, aut unio intellectui cogitanti nitidè apparet ***.

II. Nonnulli tamen existimant evidentiam, & certitudinem hanc a sensibus oriri, deprehendique debere; atque inter hos Epicurus, qui existimat omnem

. . . . . a sensibus esse creatam.
Notitiam veri, neque sensu posse refelli (a).

Omnia

(a) *Lucr. lib. v.*

* Aut nihil est verum; aut illud nobis est incompertum. *Apud Arist. Metaph. lib.* 4. *c.* 5.

** Dubitari non potest quin Socrati nihil sit visum sciri posse. Excepit unum tantùm scire se, nihil se scire, nihil ampliùs. Quid dicam de Platone, qui certè tam multis libris hæc persequutus non esset, nisi probavisset. *Cic. Acad.* 4.

Metrodorus autem dicebat nego scire nos sciamusne aliquid, an nihil sciamus, ne idipsum quidem nescire, aut scire, scire nos; nec omnino sine aliquid, an nihil sit. *Cic. ibi.*

*** Ut necesse est lancem in librâ ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere. *Cic. Ac.*4.

Omnia nimirum *Judicia rerum in sensibus ponit; quibus si semel aliquid falsum pro vero probatum sit, sublatum esse omne Judicium veri, & falsi putat* (a). Hoc idem senserat Asclepiades, *qui persuasum habebat sensus quidem re ipsa, ac verè esse apprehensiones, ratione autem nihil nos omnino comprehendere* (b).

III. Sed illustriores Philosophi, Thales, Parmenides, Xenophanes, Democritus ipse, Heraclitus, atque Anaxagoras *solam rationem esse Criterium dixerunt; sensus autem, propter illorum imbecillitatem, non posse vera judicare:* atque inter ceteros Plato, *qui omne judicium veritatis, veritatemque ipsam abductam ab opinionibus, & a sensibus cogitationis ipsius, & mentis esse voluit* (c), quem sequutus est etiam cum antiquis Ecclesiæ Patribus Augustinus (d).

IV. Platonici verò post Speusippum Platonis successorem utramque opinionem ita conjunxerunt, ut Veritatis notam, sive judicium partim in sensibus, partim in ratione, seu mente constituerent; quod etiam de Aristotele, ac Theophrasto refert Empyricus. *Peripatetici*, inquit, *communiter cùm sit duplex in summâ rerum natura, quoniam alia quidem sunt sensibilia, alia autem intelligibilia, ipsi quoque duplex relinquunt Criterium; sensum quidem, qui sit sensibilium, intelligentiam deinde, qua intelligibilium: amborum autem commune est, ut dicebat Theophrastus, id quod est evidens* (e); quemadmodum etiam

(a) *Cic. 1. de Fin.* (b) *Apud Empyr. 1. advers. Logicos.* (c) *Cicer. ibidem.* (d) *Lib. 8. Civit. c. 7. &c.* (e) *Empyr. loc. cit.*

etiam Potamon ipſe Eclecticæ Sectæ inſtitutor expreſsè docuit, *partem animæ principem, & exquiſitiſſimam phantaſiam* de rerum veritate judicare (a).

V. Quæ quidem opinio ceteris omnibus longè veriſimilior videri poterit, cùm plurima, quæ a ſenſibus oriuntur, certa, atque evidentia ſint, ut longâ, ac facili inductione probari poſſet, atque etiam nos ſuperiùs oſtendimus; alioquin cùm intellectûs cognitio a ſenſuum cognitione dependeat, ut alibi demonſtravimus, niſi per ſenſus evidentiam, & certitudinem aliquando aſſequeremur, nulla in nobis ſcientia, ac veritas eſſe poſſet, quod maximè falſum eſt; hic enim error in Deum ipſum referri deberet, qui ſenſus fallaces nobis tribuiſſet, quod certè veritatis omnis, & perfectionis fonti, & Patri luminum omnino repugnat.

VI. Quia vero plerumque a ſenſibus ipſis decipimur, quia ſenſus intimas rerum eſſentias penetrare, ſcrutarique nequeunt *; quia rerum ſimilitudine abripiuntur, nec illarum diſcrimina rite percipiunt, quia illorum cognitio nos facilè in obſcurioribus deſerit, ac in omnibus ſpiritualibus, & incorporeis rebus nulla eſſe poteſt, quia denique ſaltèm de certitudine ſenſuum nonniſi per cognitionem aliquam ſpiritua-

(a) *Apud Laërt. in Proëm.*

* Mentem volebant rerum eſſe judicem, ſolam cenſebant idoneam, cui crederetur; quia ſola cerneret id, quod ſemper eſſet, ſimplex, uniuſmodi, & tale quale eſſet. Hanc illi ideam appellabant, jam a Platone ita nominatam; nos rectè ſpeciem poſſumus dicere. *Cic. Acad.* I.

tualem, & reflexam certi esse possumus *, hinc præter sensus nobilius adhuc, & certius aliquod evidentiæ principium, & veritatis nota constitui debet, quam *rationem* dicimus; hoc est evidentiam illam, quæ in rebus ipsis, sive propositionibus, quæ de rebus efformantur, ab intellectu, sive ratione, sive mente concipitur. Hinc celebre illud effatum: *Quidquid in ideâ alicujus rei clarè, distinctèque percipitur, est verum*; hoc est, si perceptis terminis, inter eos nexus, aut unio manifestissimè contineatur, ita ut prædicatum ipsum in ideâ subjecti quodammodo effulgeat, tunc absolutè prædicatum de subjecto affirmari poterit; quemadmodum ex adverso, si terminis clarè, distinctèque perceptis, inter illos aut connexio, aut repugnantia evidenter non percipiatur, cohibendus est assensus, donec illa connexio, aut repugnantia dilucidè nobis innotescat. Si etenim propositio ex terminis non evidens evidenter ex aliis notis sequatur, & ipsa quoque certa, & evidens judicanda est. Quarum omnium ratio certissima est, quod omnium propositionum veritas in solâ connexio-

ne

* Quamquam oriretur a sensibus, tamen non esse judicium Veritatis in sensibus *inquiunt Peripatetici apud Cic. Quæst. Acad.* 4.

Si quando satis cognita habebuntur, tunc sensui magis erit, quàm rationi credendum. Rationi enim fides adhibenda est, si quæ demonstrantur conveniant cum iis, quæ sensu percipiuntur, rebus. *Arist. de Gener. Anim.* 3. *c.* 10.

Judicium rationem esse dixit *Parmenides*, sensusque minus esse exactos, & idoneos ad judicandum. *Laert.* 9. *seg.* 22.

ne prædicati, & subjecti posita est; hæc autem connexio nunquam clariùs, & certiùs a nobis cognosci possit, quàm si unum in alterius ideâ contineatur, aut unius idea cum alteriùs ideâ arctissimè conjungatur.

VII. Hinc autem facilè inferri potest, & observari plurimum debet principium ejusmodi converti non posse, ut illa solùm putanda sint vera, quorum ideam claram, & distinctam habemus: ut enim alibi ostendimus, plurima sunt in rebus naturalibus, ac divinis, quæ vera, ac certa esse fide, & ratione certissimè scimus, licèt connexionem illam inter prædicatum, & subjectum minimè cognoscamus. Quo certè loco reprehendi, vel improbari maximè debet Protagoræ opinio, qui *rerum omnium mensuram hominem esse putavit* (a), *putavitque id cuique verum esse, quod cuique videatur* (b): quemadmodum etiam Democritus, ex eo, quod plurima, vel omnia a nobis percipi non possint, temere deduxit, illa vera esse non posse; in quo a Cicerone *, aliisque pluribus meritò reprehenditur.

VIII. Sed, ut illustriùs adhuc appareat hujus principii vis, aut Criterii usus, tria rerum genera distingui solent, quæ a nobis inquiri, & apprehendi possunt. Aliæ certissimæ sunt, de quibus evidentiam, & veritatem, & scien-

(a) *Apud Arist. lib. 2. Metaph. c. 5. & lib. 4. c. 5. vid. etiam Plato in Theat.* (b) *Cic. Acad. 4.*

* Nam is non hoc dicit, quod nos, qui veri esse aliquid non negamus, percipi posse negamus; ille verum esse planè negat. *Cic. Acad. 4.*

scientiam assecuti jam sumus, ut prima cognitionis principia, aliæque propositiones cum illis intimè, atque arctissimè connexæ. Aliæ sunt dubiæ, vel solùm probabiles, quarum veritatem, & evidentiam nondum quidem assecuti sumus, sed illam consequi nos posse speramus, ut æstus maris, vis magnetica. Plurimæ deniquæ aliæ sunt, quæ cognitionem nostram prorsus excedunt, atque humanæ mentis vim effugiunt, ut quæstiones illæ nimiùm vagæ, & abstractæ, quales de infinitâ Dei potentiâ, possibili creaturarum numero, atque illarum omnium perfectissimâ, aliæque sexcentæ, quæ tanto apparatu, & ingenii pompâ non magis inutiliter, quàm subtiliter disputari solent. Quæstiones illæ, quæ primi generis optimè dici possunt, liberiori quodam modo, plenoque fiduciæ sunt pertractandæ, cùm illarum veritas facilè appareat, atque ipsa sese mentibus, oculisque nostris objiciat, gestiens quodammodo ab humanæ mentis ingenio cognosci, & illustrari. Reliquæ verò, sicuti acriorem mentis nostræ vim exigunt, ut in lucem occulta veritas educatur, ita ancipitem ferè, sibique diffidentem * animum requirunt, ne incerta pro certis, & adhuc ambigua pro cognitis amplectatur, hoc est rebus adhuc incognitis assentiatur; sed illas potiùs inquirat, ut inquit Seneca, *nec cum fiduciâ inveniendi, nec sinè spe* (a). Illæ deni-

(a) *Sen. Quæst. Nat. lib. c.*

* Dicendum est mihi igitur ad ea, quæ sunt a te dicta, sed ita, nihil ut affirmem; quæram omnia dubitans, plerumque & mihi ipsi diffidens. *Cicer. de Divin.* 2.

nique, quæ circa res verſantur, quæ omnem prorſus ingenii noſtri vim ſuperant, ac effugiunt, meliori certè conſilio omitti, vel præteriri facilè poterunt, quàm ſtudioſiùs, atque curioſiùs inquiri; non quòd accurata rerum illarum inveſtigatio, aut inutilis, aut injucunda putari debeat, cùm nihil potiùs divinam humanæ mentis vim meliùs, atque nobiliùs exerceat, quàm rerum occultiſſimarum cognitio; ſed quòd intellectus noſter ſuæ tenuitatis immemor illa quoque liberiùs, atque audaciùs ſcrutari deſideret, quæ Deus ipſe nobis occulta eſſe voluit. Plurimus itaque honor, & gratiæ plurimæ, ac immortales Deo haberi debent, quòd homini ad imaginem ſui formato infiniti perſcrutandi capacem mentem dederit, ac ſui ipſius in æterno beatitudinis lumine facie ad faciem aliquando contemplandi ſpem fecerit; quandiu tamen mens noſtra corporeis hiſce ſenſibus illigata cognitionem omnem ab illis mutuatur, tenuem solùm illius Veritatis ſplendorem, quem in rebus omnibus divina Veritas olim impreſſit, intueri debet; atque omnes caligines, & vitia, quæ irrepere, & offundi ſolent, legum illarum ope, quas in hac primâ Philoſophiæ Parte complexi ſumus, diſſipare.

FINIS LOGICÆ.





INDEX RERUM.



A

B

C

Ca-

D

E

F

G

H

I

Or-

P

Con-

Pyr-

Q

R

S

Scien-

Se-

Ter-

T

V

X

Za-

Z

Pag. 39. *v.* 31. *lege* qui præcessit annum. *p.* 106. *v.* 12. *l.* nosse. *p.* 128. *v.* 5. *l.* exponi *p.* 165. *v.* 29. *l.* accuratè cognitæ. *p.* 197. *v.* 12. *l.* quantitatem. *p.* 224. *v.* 8. *l.* certæ, ac legitimæ. *v.* 18. *l.* is *p.* 232. *v.* 13. *l.* expressi. *p.* 291. *v.* 5. *l.* Philautia. *p.* 293. *v.* 18. *l.* falli potest. *p.* 314. *v.* 31. *l.* sive.

Pag. 99. *v.* 3. *post* contineri *addatur* Cic. Orat. & *v.* 10. *post* imponere *add.* Arist. XIII. Meta. c. 4. quod si leviores alii irrepserint, negligat, aut facilè corrigat benevolus lector.



11066

